STATUTA

PRO MISSIONIBUS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

EXPLICATA

A

P. CYRILLO JARRE O. F. M.

VICARIO APOSTOLICO DE TSINANFU IN SINIS

(PRO MANUSCRIPTO)

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

4896

ABBREVIATIONES IN HOC LIBELLO ADHIBITAE

COLLECT. - Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide. Vol. duo, Romae, ex typographia polyglotta S. C. de Propaganda Fide, 1907.

COLLECT. HONGK. - Collectanea Constitutionum, Decretorum, Indultorum ac Instructionum Sanctae Sedis ad usum operariorum apostolicorum Societatis Missionum ad Exteros selecta, cura Moderatorum Seminarii Parisiensis eiusdem Societatis.

Editio altera, documenta complectens ad annum usque 1905. Hongkong. Typis Societatis Missionum ad Exteros, 1905.

CC. GG. - Regula et Constitutiones Generales Fratrum Minorum, Quaracchi, prope Florentiam, ex typographia Collegii S. Bonaventurae, 1922.

CAN. - Codex Juris Canonici Pii X Pontificis Maximi iussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus. Romae, typis polyglottis Vaticanis, 1919.

S. C. P. F. - S. Congregatio de Propaganda Fide.

STAT. MISS. - Statuta pro missionibus Ordinis Fratrum Minorum, Quaracchi, 1924.

J. N. D.

BREVIS EXPLICATIO IN STATUTA PRO MISSIONIBUS ORDINIS FRATRUM MINORUM

INTRODUCTIO

Historia luculenter probat, statuta pro Missionibus non minus utilia, immo necessaria esse, quam pro quocumque alio opere diuturno per hominum multitudinem exequendo. Missionarii enim, in quantum bonis regulis conscientiose oboediebant, uberes ac permanentes fructus producebant; in quantum vero prudentes normas aut non habebant aut non observabant, fructus sat raros incertosque procreabant. Memorari hic sufficiat excellentes illos ac vere mirabiles effectus, quos missionarii nostri in America meridionali atque centrali produxerunt, quando regulae pro collegiis missionalibus datae religiose observabantur. Exemplum talium regularum habes in litteris, quas Minister Generalis P. Joseph Ximenes Samaniego, fundatori illorum collegiorum, P. Antonio Linas, anno 1682, *transmisit, postquam ab Innocentio P. P. XI sub die* 8 *maii* 1682 *approbatae sunt.* (*Juris Pontif. de Prop. Fide p. I, vol. II, pag.* 52-56).

Similia statuta etiam pro Custodia Terrae Sanctae pluries exarata sunt, dum pro aliis missionibus nostris per saecula desiderabantur, aut saltem hodie ignorantur.

Aliquas «Ordinationes» Minister Generalis P. Pacificus Monza «per modum experimenti ad triennium adprobavit easque nostris missionariis in Sinis degentibus observari summopere commendavit» die 25 *junii* 1913.

Novae Ordinis nostri Constitutiones Generales a S. Congregatione de Religiosis ad conformitatem Codicis J. C. revisae et sub die 22 *augusti* 1921 *ratae habitae, Rev.mo Definitorio Generali facultatem edendi pro nostris missionariis statuta attribuunt. Nam in earumdem CC. GG. num.* 659 *legitur*: (*A*

missionariis) «servanda praeterea fideliter sunt.... statuta peculiaria a Definitorio Generali.... legitime praescripta». Quae statuta sane nonnisi disciplinam regularem determinare possunt. Vita religiosa autem cum vita missionaria intime ita est connexa, ut una ab altera minime separari valeat.

Qua missionarii autem religiosi nostri a S. Congregatione de Prop. Fide dependent (can. 252, § 5). Unde convenientissimum est, duplicem auctoritatem tum S. Congregationis tum Ordinis nostri concurrere, ut statuta missionalia legitime condantur.

Alia quoque ratio haud levior hanc concurrentiam utriusque auctoritatis in legibus missionalibus ferendis tanquam necessariam demonstrat. Missionarii nostri sub jurisdictione Ordinariorum locorum laborant, qui ut tales ab omni auctoritate Ordinis independentes sunt. Proinde ad observationem mandatorum, quibus missionarii sui qua religiosi parere tenentur, ipse Ordinarius loci non est obligatus, sed liber manet in edendis regulis et mandatis, quae pro bona animarum cura eidem bene visa fuerint. Missionarii religiosi vero mandata sui Superioris religiosi exequi debent. Ad evitandam igitur repugnantiam inter mandata Ordinarii loci et mandata Superioris religiosi S. Sedes Ordinario loci agendi modum praescribat necesse est, qui cum normis per auctoritatem religiosam stabilitis sit conformis. Itaque, si ab utraque auctoritate unus vivendi modus tam pro Ordinario loci quam pro religiosis missionariis est determinatus, concordia actionum inter omnes missionum cooperatores sperari potest.

Desiderio S. Congregationis de Prop. Fide obsecundans Rev.mum Definitorium Generale, utens sua facultate leges particulares ferendi, nova Statuta pro Missionibus Ordini nostro commissis exarata approbavit. Quae Statuta deinde, interiectis nonnullis mutationibus, ab eadem S. Congregatione sunt approbata necnon a S.mo Pontifice Pio XI rata habita, sicut in principio Statutorum legitur.

Unde patet haec Statuta:

1) legitime condita esse *pro omnibus et solis missionibus*

S. Congregationi de Prop. Fide subiectis, quae Ordini nostro sunt commissae;

2) Obligare ex auctoritate S. Sedis *omnes viros ecclesiasticos in iis materiis, quae ad respectivas personas pertinent, sive sint Episcopi vel Vicarii vel Praefecti Apostolici vel simplices missionum Superiores, sive sint missionarii tum saeculares tum regulares;*

3) obligare insuper ex auctoritate Ordinis *omnes religiosos Ministro Generali O. F. M. subiectos.*

DECRETUM
S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

Quo facilius Missionum regimini, quae Fratrum Minorum S. Francisci curis a Sede Apostolica commissae fuerunt et in posterum committi contingat, prospiceretur, visum est quemdam uti dicunt « *Modum vivendi* » conficere, quo mutuae relationes inter Superiores ecclesiasticos et Superiores religiosos, necnon inter Superiores istos ac missionarios religiosos clarius determinarentur. Qui « modus vivendi » a Definitorio Generali Ordinis Fratrum Minorum accurate concinnatus, examini EEmorum Patrum huius S. Congregationis de Propaganda Fide in plenariis comitiis diei 14 labentis Ianuarii habitis propositus, nonnullis interiectis immutationibus, quae in adnexo exemplari fideliter exhibentur, in omnibus probatus fuit.

Quam EEmorum Patrum sententiam in audientia eiusdem diei ab infrascripto S. huius Congregationis Secretario relatam, Sanctitas Sua benignissime ratam habere dignata est et praesens in re Decretum expediri iussit.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis de Prop. Fide die 28 Ianuarii 1924.

G. M. Card. Van Rossum
Praef.

L. + S.

+ Franciscus Marchetti-Selvaggini
Archiepiscopus Seleucien.
Secretarius.

Quoad Decretum S. Congr. de Prop. Fide. — Quoniam S. Congregationis de Prop. Fide non est disciplinam religiosam curare, (quamvis eam nedum negligat, immo ut optimum fervoris apostolici excitandi conservandique medium maximi aestimet), sed disciplinam ecclesiasticam inter personas missionales statuere ac retinere, decretum eiusdem S. Congregationis hunc finem unice attendit. Mutare atque corrigere textum a Rev.mo Definitorio Generali propositum eadem S. Congregatio optimo jure sibi vindicat, quia ipsa sola est competens in determinanda

disciplina ecclesiastica, cui disciplina regularis inservire debet, quia salus animarum est summa lex.

Caritas enim, quae a missionariis praesertim in procuranda animarum salute exerceri debet, major est omnibus aliis legibus tam a quavis auctoritate impositis, quam in Ordine libere susceptis.

Bonum regimen cuiusvis societatis vero supponit jura et officia omnium personarum, in quantum per imperfectionem humanam licet, clare esse distincta. Ita enim facilius evitatur opinionum confusio, qua duo vel plures idem negotium suo modo tractare officium proprium et jus esse praetendunt. Hic « modus vivendi » ergo secundum S. Sedis intentionem efficiet « ut, sublatis dissidii causis, stabilis ubique vigeat mutua cum caritate concordia » (Const. *Rom. Pontif.* 8 Maii, 1881. Collect. II, n. 1552, p. 146, a linea « Nos vicissim »).

Fr. Bernardinus Klumper
Totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis
et humilis in Domino servus.

DECRETUM

Peculiaria haec Statuta seu « Modus vivendi » in Missionum Ordini nostro a S. Sede commissarum et Missionariorum bonum compositus. fuit a Definitorio generali mature recognitus et dein subiectus examini S. Congregationis de Propaganda Fide. Quae cum factis aliquot emendationibus Statuta approbaverit, Summus Pontifex sententiam Emorum Patrum ratam habere dignatus est.

Idcirco omnibus et singulis, ad quos spectat, praecipimus, ut ad normam Constitutionum generalium Ordinis num. 659, haec Statuta fideliter observent, prout in hoc exemplari, ad mentem laudatae S. Congregationis emendato, reperiuntur.

Praesertim Superioribus regularibus in nostris Missionibus degentibus summopere commendamus, ut eiusmodi observantiae sedulo invigilent ac quotannis de ea accurate ad nos per-

scribere non omittant.

Datum Romae, die festo S. Petri Baptistae et Sociorum, Martyrum Iaponensium, 1924.

L. + S.

Fr. Bernardinus Klumper
Min. Glis.
De mandato Paternitatis Suae Rev.mae

Fr. Natalis Gubbels
Secretarius Missionum.

Decretum, quo Rev.mus P. Minister Generalis Statuta missionalia promulgat, praeprimis gravem ex oboedientia obligationem enuntiat, qua omnes sibi subditi ubicumque degentes in materiis, quae singulos respiciunt, has normas observare tenentur. Deinde, quia « omnis Superior debet notitiam et executionem decretorum S. Sedis, quae religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere » (can. 509, § 1, Const. Gen. les n. 10), praesertim Superiores regulares in missionibus degentes monet, ut « eiusmodi observantiae sedulo invigilent » et, ne in oblivionem abeant, quotannis de ea Ministro Generali referant.

Caput I.

De Missionibus in Ordine, earumque administratione centrali.

Opus missionarium perbene operi militari comparari potest. Missionarii enim tanquam selecti Christi milites pro regno Dei augmentando laborant. Itaque sicut ad bella gerenda imprimis quam perfectissima praerequiritur hominum materiarumque praeparatio, ita etiam ad missiones fructuose exercendas diligens ac exquisita praemeditatio omnium rerum, quibus missionarii indigent, omnino est necessaria. Victoriae enim saepius reportantur, ceteris paribus, non per robustiores milites neque per majorem militum copiam, sed per diligentiorem militum exercitationem instructionemque, per minutissimam rerum bellicarum cautionem atque provisionem, deinde per prudentem actionem militarem illo temporis articulo incoeptam, quo omnes circumstantiae sunt pro aggredientibus. Similiter etiam nos in vanum imprudenterque confidimus in magnam missionariorum nostrorum multitudinem, nisi prius omni cura singulos milites apostolicos ad difficile eorum opus praeparavimus atque optimos duces illis praeposuimus, et nisi omnia auxilia scientiae, materiarum, pecuniarum eisdem continuo subministramus. Dementia prorsus esset, si milites in hostium regna mitterentur absque armorum usu et pugnandi evercitatione, vel si de subsidiis tunc demum cogitaretur, postquam milites in longinquo belli campo viribus deficere incipiunt et fere jam desperantes concivium auxilia implorant. Dimidiam victoriam vero ille dux jam reportavit, qui domi omnia perfecte praeparavit. Ita etiam missionis effectus quasi certos securosque facimus, si in patria et missionarios et eorum subsidia diligenter praeparamus.

Ne autem absque ordine ac proinde inutiliter opus missionale praeparetur et executioni mandetur, unusquisque tam in patria quam in missionis campo clare sciat oportet statum et ordinem seu, ut moderno verbo utar, « organizationem » huius operis. Propterea « Statuta pro Missionibus O. F. M. » primo Missionum nostrarum regimen centrale a Curia S. Sedis et Ordinis nostri exercitum debite explicant (cap. I). Porro de Provinciarum cooperatione ad opus missionarium tam in praeparandis laboratoribus apostolicis quam in subsidiis colligendis agunt (cap. II). Deinde, ad missionum campum transitum faciendo, jura et officia Superiorum ecclesiasticorum (cap. III) et regularium (cap. IV) ac demum Missionariorum (cap. V) fusius exponunt. Additur explicatio modi, quo bona temporalia, quae etiam in missionibus sunt nervus rerum agendarum, administrari debeant (cap. VI). Opusculum concluditur per ferventem exhortationem ad omnes fratres tam in missione quam in patria degentes, ut quisque eas Statutorum praescriptiones, quae ad se spectant, fideliter exequatur.

1. Missiones oput summi momenti. — « Quia ex sancto Evangelio, cuius observantiam specialiter in Regula profitemur, Apostolorum exemplo quasi hereditario munere nobis congruit catholicae Fidei praedicatio, ut hac etiam in parte Instituti nostri teneamus rationem, simulque seraphici Patris nostri mandatum de fratribus ideoneis ad infideles mittendis pie exsequamur, rogamus quoscumque Ordinis nostri Superiores ut Missiones, Ordini nostro a Sancta Sede commissas vel committendas, singulari favore et sollicitudine prosequi numquam omittant ».

Praecedens numerus 1, verbotenus ex CC. GG. n. 648, transumptus est. Triplici ex capite omnes Franciscani monentur, ut missiones singulari favore prosequantur:

a) *ex s. Evangelio* Matth. 28, 18: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis ». Marc. 16, 15: « Et dixit eis: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae ». Act. Apl. 1, 8: « Et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et Samaria et usque ad ultimum terrae ».

b) *ex Apostolorum exemplo.* Marc. 16, 20: « Illi (Apostoli et Discipuli Christi) autem profecti praedicaverunt ubique ». Apostolorum qua missionariorum exempla narrantur in libro Actuum Apostolorum eademque in Apostolorum epistolis clarissime manifestantur.

c) *ex mandato seraphici Patris nostri* in Regula dato cap. XII: « Quicumque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles, petant inde licentiam... » cap. I. « Regula et vita Minorum Fratrum haec est, sc. Domini nostri J. Chr. s. Evangelium observare ».

2. Omnium requiritur cooperatio. — « Itaque omnes et singulos Ordinis seraphici sequaces, pro sua quisque parte, prout in hisce Statutis indicatur, huic egregio operi ex animo contribuere decet et necesse est. Nulla Provincia, etsi Missionem specialiter demandatam non habeat, ab effectiva cooperatione ad apostolatum inter acatholicos, qua precibus, qua vocationibus, qua procuratis ad hoc eleemosynis, exemptam sese habeat; sed ad praestantissimum hunc apostolatus finem pro viribus collaborare omnibus sanctum esto ».

Ex iis, quae in priore numero dicta sunt, hic concluditur, tam omnes et singulos fratres quam omnes et singulas provincias egregio operi Missionis cooperari debere. Deinde indicantur varii cooperationis modi: preces, vocationes, procurare elemosynas.

Preces pro missionibus fundere possunt omnes: infirmi et sani, novitii et professi; item ad fundendas preces confratres aliosque fideles excitare omnes Franciscani valent praesertim magistri spirituales, Superiores provinciae et domuum, lectores, praedicatores. Hic adjuvandi missiones modus primo loco ponitur, quia fundamentum omnis propagationis fidei est gratia divina, quae per preces aliaque bona opera efflagitari debet atque mereri.

Vocationes in aliis confratribus et saecularibus fovere similiter fere omnes valent. Occasiones enim excitandi vel roborandi vel adjuvandi vocationes quisque facile arripiet, dummodo vero missionis amore flagret, in conversatione cum juvenibus confra-

tribus et saecularibus, in catechesi, in praedicatione, in fratrum clericorum laicorumque instructione. Plurimi sunt adolescentes, qui vocationem missionariam sequi volunt ac pro hoc fine exequendo consilia petunt a confessariis, a magistris, haud raro etiam a nostris fratribus laicis, praesertim quando isti colligendarum eleemosynarum causa domos privatas saecularium ingrediuntur. Superiores igitur et magistri spirituales omnes eorum curae commissos saepius moneant, quatenus et per verba et per libellorum imaginumque distributionem saeculares edoceant Ordinem nostrum inde a fundatione usque hodie semper missiones inter infideles habuisse necnon hodie inter instituta missionalia quasi primum locum tenere.

Procurare eleemosynas missionibus destinatas, dummodo intra fines per s. Regulam et a Superioribus legitime prudenterque praescriptos fiat, tantum abest ut a spiritu franciscano alienum sit, ut caritati evangelicae et franciscanae optime congruat. Mature perpendamus hac in re verba Vicarii Christi (encycl. *Rerum Ecclesiae gestarum*, 28 Febr. 1926) Episcopos alloquentis: « Ne vos igitur, Venerabiles Fratres, pudeat pigeatque, quasi mendicos pro Christo animarumque salute fieri, et scripto profectaque ex medullis eloquentia popularibus instare vestris, ut quam opus a Fide Propagatione quotannis colligit messem, eamdem munificentia et benignitate sua multiplicent multoque faciant auctiorem. Cum, ceteroqui, nulli tam inopes aut nudi habendi sint, nulli tam infirmi aut ieiuni aut sitientes, quam qui Dei cognitione gratiaque carent. Nemo non videt, qui misericordiam egentissimis omnium hominibus exhibuerint, eos divina misericordia et remuneratione non posse destitui ». Si SS.mus Pontifex Episcopos, veros Apostolorum successores, enixe adhortatur, ut pro missionibus eleemosynas humiliter petant, speciatim ut fidelium contributiones pro illa unione missionaria, quae Propagatio Fidei vocari solet, augere studeant, — numquid nos Franciscani, qui Apostolorum exempla secundum Regulam nostram imitari praetendimus, pro iisdem missionibus fidelium dona colligere, sive mediante Unione Missionaria Franciscana sive alio modo hoc fiat, detrectare possumus aut erubescere?

3. Auctoritas Ministri Generalis. — Licet omnes Missio-« nes a Sede Apostolica dependeant, tamen quoad disciplinam « regularem Minister generalis supremus in Ordine moderator « est. Cui quidem missionarii Missionumque regulares Supe-« riores et administratores (etiam qui a propria Provincia fue-« rint electi) teneantur firmiter obedire in omnibus sive genera-« libus sive specialibus ordinationibus aut dispositionibus quae « vitam religiosam spectant Missionisque prosperitatem ».

In rebus, quae animarum salutem quomodocumque respiciunt, S. Sedis auctoritas est summa atque idependens respectu omnis auctoritatis creatae. In dioecesibus Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis (can. 329 § 1). Sed « in aliis territoriis universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur » (can. 1350 § 2). In territoriis missionum itaque ex institutione ecclesiastica Vicarii vel Praefecti Apostolici et baptizatorum curae spirituali et paganorum conversioni praepositi sunt cum potestate ordinaria, licet vicaria.

Cura religiosorum qua talium autem S. Sedes ubique terrarum Superioribus religiosis secundum eorum Regulam vel Constitutiones relinquit. CC. GG. n. 513 de supremi Superioris nostri religiosi auctoritate determinant: « Ministri generalis ordinaria potestas in Ordine summa est, a qua nemo eximitur. Ei omnes uti S.P.N. Francisci vero et legitimo successori ex Regulae praecepto obedire tenentur ». Quae Ministri generalis potestas etiam quoad missionarios religiosos confirmatur can. 502: « Supremus religionis Moderator potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales religionis exercendam secundum constitutiones », Cfr. can. 252 § 5 ubi declaratur, S. C. nis de Prop. F. competentiam se extendere ad religiosos qua missionarios, non vero ad missionarios qua religiosos, et can. 296 § 2: « Vicariis et Praefectis Ap.licis nullo modo liceat, praeter casus in iure praevisos, se *in disciplinam religiosam ingerere, quae a Superiore religioso dependet* ». Si vero acciderit mandatum S. Congregationis de Propag. Fide et manda-

tum Ministri generalis, utrumque intra fines competentiae propriae datum, simul aut non aut nonnisi difficulter exequi posse, mandatum S. C. P. F. praevalere debet.

4. Munia Ministri Generalis. — « Ipsi competit, sive « seorsim sive una cum Rev.mo Definitorio, prout fert materia:

« *a*) Missiones acceptare, resignare, aut, ubi utilitas postu- « laverit, pro earum divisione instare;

« *b*) ordinationes Provinciarum, quae ad vitam regularem « spectant, pro concreditis sibi Missionibus examinare, emen- « dare et approbare; Superiores regulares instituere aut con- « firmare, eisque per litteras patentales illam auctoritatem et « potestatem committere quae ipsi visa fuerit committenda « (Const. gen. n. 654);

« *c*) aspirantibus ad Missiones solidam educationem pro- « curare et formationem huic vocationi consentaneam; in hunc « finem apta media Provinciis praescribere ipsorumque appli- « cationem urgere; collegia Missionum, pro necessitate, in « Ordine erigere et visitare, eorumque recto regimini sollicite « providere, tum apta praefigendo programmata, tum selectos « praeponendo rectores et docentes;

« *d*) aspirantium petitionem excipere et de eorum voca- « tione, iuxta informationes a Ministro provinciali et aliunde « acceptas, iudicare et statuere eosque postquam sufficienter « probati fuerint et instructi, ad Missiones ex S. Congregationis « de Propaganda Fide auctoritate destinare; item inter infideles « iam laborantes, servatis servandis, ex una in aliam Missionem « mittere aut a Missione revocare;

« *e*) Missiones et missionarios (salvis, quoad curam ani- « marum, iuribus Superioris ecclesiastici) in omnibus quae « quomodocumque spectant ad disciplinam regularem et vitam « religiosam, per se vel per alium, ad normam Const. gen. n. 605 « et seqq., singulis trienniis visitare, Fratresque monere, corri- « gere et ad actuosum apostolatum stimulare;

« *f*) Roganti S. Congregationi de Propaganda Fide pro- « ponere nomina Fratrum quos, diligenti praemissa investiga- « tione, tum virtute et pietate, tum zelo, capacitate et agendi

« dexteritate, digniores in Domino repererit qui ad regimen « ecclesiasticum qua Vicarii aut Praefecti Apostolici promo- « veantur;

« *g*) cum Vicariis et Praefectis Apostolicis de mediis « agere ad prosperitatem et splendorem Missionum nostrarum « conducentibus;

« *h*) efficere ut de subsidiis materialibus Missionibus « sufficienter provideatur, atque ad hoc singularum Provincia- « rum contributiones urgere ».

Praenotanda de modo, quo S. Sedes missiones Ordini committit.

1. — Quando Summus Pontifex aliquam Missionem Ordini committit, certe nec vult, nec potest eidem Ordini tradere jus suum et officium a Deo acceptum pascendi animas baptizatas et convertendi animas nondum baptizatas; - sed executionem huius iuris et officii Ordini confidit sub tacita condicione et pro illo tempore, quo Ordo bene de illa missione curet et usquedum Summus Pontifex modum certe meliorem providendi illi territorio non habeat. Nam omnes pagani a Christo Redemptore acceperunt ius, ut illis fides vera annuntietur. Itaque, si Ordo paucos tantum paganos Ecclesiae Christi aggreget, dum per alios missionarios multo plures pagani converti possint, Vicarius Christi ex voluntate divina illum meliorem propagandi fidem modum adhibere debet, etiamsi hoc modo pars missionis vel tota missio Ordini auferri deberet.

2. — Acceptando a Vicario Christi aliquod missionis territorium Ordo duo onera et iura in se suscipit:

a) onus (ex natura rei profluens proindeque semper existens) et ius a S. Sede concessum mittendi missionarios sufficientes et aptos in talem missionem (Instr. S. C. P. F. 1 sept. 1881, Collect. II. n. 1558, p. 156). S. C. P. F. eo ipso aut tacite promittit, se missionariis ab Ordine pro sua missione oblatis « missionem canonicam » seu facultatem in illa missione laborandi daturam esse, aut hanc auctoritatem mittendi missionarios suos eadem S. Congr. delegat Ministro generali, sicut de facto Ministrum generalem nostrum delegavit. Consequenter

Ordinarius loci missionarios sic destinatos recipere debet, quibus generaliter ne quidem « licentiam sacri ministerii exercendi » denegare valet,. « nisi singulis et gravem ob causam » (can. 295 § 2).

b) Alterum onus (conditionatum proindeque non semper existens) providendi de bonis temporalibus pro fidei propagatione necessariis, si et in quantum illa missio bona temporalia nec ipsa possidet nec ex alio fonte (e. g. a S. Sede vel a gubernio vel a benefactoribus) accipit. Quia Summus Pontifex scit, nos Franciscanos bona temporalia non possidere, eo ipso, quod nobis obligationem providendi de bonis talibus imponit, etiam licentiam et ius concedit, quaerendi illa bona a benefactoribus.

Qua de re Instr. S. C. P. F., 19 mart. 1893 dicit: « Eos (Superiores Institutorum missionalium) proinde obligatio imprimis tenet, missionarios eo numero suppeditandi, qui ad missionis necessitates satis sint; tum etiam eorum partes erunt, alia humana praesidia atque opes diligenter comparare, quibus missio indigeat. Quod si impar suis viribus susceptum onus deprehendant, ne graventur, S. hanc Congregationem certiorem reddere, ut quod magis e re christiana fuerit, ipsa provide statuat ». (Collect. II. n. 1828, III., p. 288). In eandem rem cl. P. Theodorus Grentrup, S. V. D. (Ius missionarium, I, 1925, Steyl, p. 90) scribit:

« In missione suscipienda deprehenditur *tacitus contractus bilateralis* inter Sedem Apostolicam et Ordinem missionalem. Sedes Ap. se obligat, istud determinatum territorium huic Ordini se reservaturam (esse) et alios missionarios non missuram; Ordo acceptans ex altera parte ipso facto promittit, se velle totam curam illius territorii quoad religionem plantandam in se suscipere, et propter hoc, prout necessarium est, vires personales et materiales in hoc propositum impendere. Neque mentem aufugere licet, Sedem Apostolicam missionem non singulis missionariis vel eorum universitati committere, sed *Instituto* missionali. Ex quo facto logice derivantur complura Superiorum Ordinis *iura* de propositione personarum ad varia missionis munera, sed etiam illud *onus* efficitur, ut Ordo vel Congregatio

se consideret tamquam agens principale ad missiones suas promovendas ».

Quae omnia a cl. P. G. Vromant (Ius miss. tom. II. de personis, Lovanii, 1929, n. 113, p. 105-106) approbantur atque hac conclusione augentur: « Inde liquet, Ordinarios missionum non posse in huiusmodi missiones advocare missionarios *alius* Instituti absque praevia licentia S. Sedis, quae habet contractum saltem implicitum cum priore Instituto ».

Quibus praemissis ad explicandum Statutorum textum revertimur.

Jura et officia Ministri Generalis quoad missiones enumerantur octo:

a) 1. « Missiones acceptare ». Ergo in Ordine nostro non Ministri provincialis, sed unius Ministri generalis est, missiones a S. Sede petere vel ultro oblatas simul cum oneribus consequentibus assumere.

2. « Missiones resignare ». Ob deficientiam personarum vel subsidiorum, necessarium fieri necnon ob maiorem utilitatem missionis consultius esse potest, ut missio S. Sedi restituatur. De hac necessitate vel utilitate Ministri provinciales iudicare non valent, quia ordinarie solum personas ac subsidia propriae provinciae, non omnium provinciarum totius Ordinis, cognoscunt, dum Ministro generali conditiones omnium provinciarum sat notae sunt. Itaque, si cuidam provinciae impossibile evadat missioni sibi commissae sufficienter providere, Minister generalis aliam provinciam in auxilium vocare vel etiam totam missionem alteri provinciae confidere valet. Si vero totius Ordinis personae aptae et subsidia pro quadam missione sustentanda deficiunt, non remanet nisi missionem S. Sedi reddere.

3. « Pro earum (missionum) divisione instare ». Ex eadem fere ratione, qua Ministro generali de missionis resignatione maturius iudicium competit, etiam de eius divisionis utilitate securius iudicat, sive pars divisa tradenda sit alteri Ordinis nostri provinciae sive alii Instituto missionali sive clero indigenae.

Ex hoc statuto patet, S. Sedem de missionum acceptatione,

resignatione, divisione cum uno Ministro generali tractare velle et eandem S. Sedem unum Ministrum generalem tenere responsabilem pro universa missionum provisione, quas Ordini nostro confidere dignatur.

Quamvis Vicarii vel Praefecti Apl.ici indubium ius habeant immediate a S. Sede petendi, ut eorum missiones aut dividantur aut alteri Ordini vel Instituto missionali tradantur, aequitati naturali tamen magis congruit, eiusmodi negotia prius Ministro generali proponere, qui forsan novas vias ac media in permagno Ordine suo inveniet, quibus iustis Ordinariorum missionum desideriis satisfiet.

Quoniam missionum acceptatio, resignatio, divisio sint « Ordinis negotia, quae praevium maturum Patrum examen requirunt » (Constit. Gles. n. 472), de iis in congressu Definitorii generalis opportune tractatur.

b) « Ordinationes Provinciarum .... ».

De eiusmodi Ordinationibus horum statutorum n. 8 decernit: « Si autem fere omnes (missionarii) ad Provinciam pertinent, cui concredita est missio », oriuntur iura sequentia: A) Ad rectum spiritum in Missione promovendum Minister provincialis cum suo Definitorio poterit quasdam ordinationes condere, quae tamen .... a Definitorio generali sanciri debeant ». Patet per eiusmodi « ordinationes » nihil praecipi posse nisi quod ad disciplinam regularem pertineat, cum quoad curam animarum in missionibus exercendam definitorium nec provinciale nec generale ullam auctoritatem possideat. Immo eiusmodi praeceptа disciplinaria praeceptis Ordinarii loci pro animarum cura datis nullo modo obesse possunt.

« Superiores regulares instituere aut confirmare », sive a Definitorio generali (n. 21) sive a Definitorio provinciali (n. 20) electi fuerint. Totam quantam auctoritatem suam Superiores regulares missionum, etiamsi a definitorio provinciali electi fuerint, ab uno Ministro generali accipiunt. Iam CC. GG. n. 654 per eadem fere verba relinquunt iudicio Ministri generalis determinare ambitum potestatis P. Commissario concedendae.

c) « Aspirantibus .... educationem .... ».

Acceptando aliquam missionem Ordo assumit onus mittendi illuc missionarios eosque bonos et aptos; immo finis intentus eo securius citiusque necnon cum minore numero missionariorum minoribusque expensis obtinetur, quo capaciores aptiusque praeparati Patres ad missiones destinantur. Quoniam Minister generalis coram S. Sede respondere debet de missionariorum suorum aptitudine, eidem etiam ius competat oportet praescribendi, invigilandi, dirigendi bonam aptamque futurorum missionariorum educationem et specialem praeparationem.

Praeparatio huic vocationi conveniens media tum supernaturalia tum naturalia complectitur. Supernaturales virtutes apostolicae, praesertim theologicae (fides, spes, caritas) et cardinales (prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo), profunde implantandae atque exercendae sunt; scientiae philosophicae ac theologicae, et pro diversarum missionum circumstantiis specialibus etiam selectae scientiae, quae naturales vocari solent (physica, linguistica, ethnologica, historica tum populorum tum religionum tum missionum etc.), meliori quo fieri potest modo docendae sunt; necnon virium physicarum sufficiens evolutio per exercitia corporalia procuranda est. Valde insuper desiderandum est, ut in unaquaque missione sit unus alterve Pater, qui in una alterave scientia sive sacra (e. g. iure canonico, dogmatica) sive profana (v. c. historia, ethnologia) perfectius sit versatus vel etiam lauream doctoratus obtinuerit. Eiusmodi sacerdotes non solum missionum Superioribus omnibusque missionariis maximo adiumento esse, sed etiam ipsi libros utilissimos componere necnon aliorum Patrum studium qua consiliis, qua litteraturae perhibitione maxime adiuvare valent.

d) « Aspirantium petitionem excipere ».

Ejusmodi petitiones ordinarie per Ministrum provincialem Ministro generali offerendae sunt; sed quisque Franciscanus, sive sacerdos sive clericus sive frater laicus sit, habet jus immediate scribendi Ministro generali. CC. GG. n. 649: « Qui autem ad missiones destinari peroptant ... litteras oboedientiales per suos Provinciales a Ministro generali petant. Quod

si Minister provincialis id facere renuat, etiam directe ad Ministrum generalem fratres scribere poterunt ».

Unus Minister generalis itaque facultatem habet mittendi fratres in missionem, sicut ex hoc statuto a S. Sede approbato patet. Quam facultatem idem Minister generalis a S. Sede immediate accepit. Fratres a Ministro generali in missionem nostram missi ab Ordinario loci communiter recipi debent, qui nonnisi « singulis et gravem ob causam » (can. 295 § 2) licentiam sacri ministerii exercendi denegare potest. Et Vicariis et Praefectis Aplicis, « non licet, inconsulta Sede Aplica, concedere missionariis ab ea (vel ex ejus auctoritate a Moderatore generali) missis veniam in perpetuum deserendi vicariatum aut praefecturam vel alio transeundi nec eos quoquo modo expellere », excepto « casu publici scandali » (can. 307 § 1 et 2). Ex hodierna praxi S. Congregationis de Propaganda Fide talis auctoritas nulli Ministro provinciali conceditur.

Dum Minister generalis fratres suos in quamcumque ex Ordinis nostri missionibus libere mittit, ex una in aliam transfert, ex omni missionis territorio revocat, idem quoad suos fratres immediate a S. Sede in aliquam missionem cum titulo Missionarii Aplici missos facere non valet nisi consentiente S. Congregatione de Propaganda Fide. Eandem S. Congregationem posse sibi reservare jus mittendi fratres nostros Missionarios Apostolicos in quamcumque missionem, extra omne dubium est.

e) « Missiones et missionarios .... visitare ».

« Visitationis scopus esse debet .... curare ut, quae in hanc rem (i. e. disciplinam regularem) sacris Canonibus, decretis ap.licis atque Ordinis legibus (ad quas etiam Statuta pro missionibus nostris edita pertinent), sancita sunt, omnino sarta tectaque serventur ». (CC. GG. n. 605). Quoad modum hanc visitationem in missionibus nostris peragendi servandae sunt, in quantum fieri potest, CC. GG. nn. 605-631. Specialis scopus visitationis in missionibus est, ut patet, spiritum apostolicum in omnibus missionariis renovare et protegere. Visitatori igitur, omnino sicut Superiori regulari, jus competit inquirendi curam

animarum, bonorum temporalium administrationem, vitam privatam missionariorum etc.

f) « Proponere nomina Fratrum .... qui ad regimen ecclesiasticum qua Vicarii aut Praefecti Aplici promoveantur ».

Quia « universa missionum cura apud acatholicos Sedi Aplicae reservatur » (can. 1350 § 2), etiam Ordinarii locorum ab una S. Sede in missionibus libere nominantur (can. 293 § 1). S. Congregatio de Prop. Fide autem in gratam agnitionem meritorum, quae Ordo noster in missione nobis commissa acquisivit, a Ministro geenrali qui etiam capacitatem singulorum subditorum melius explorare et cognoscere potest, « ternam » ut vocatur, i. o. trium fratrum nomina, rogare solet, ex quibus S. Sedes Praefectum vel Vicarium Apostolicum eligit, nisi graviores causae obstent.

g) « Cum Vicariis et Praefectis Aplicis de mediis agere .... ».

Quia S. Sedes missiones Ordini committit ea spe et conditione, ut per optimos missionarios et efficacissima media quam maximi fructus spirituales producantur, eidem Generali Ministro denegari non potest jus et officium, de electione personarum, de sequendis methodis propagandi fidem cum Ordinariis missionum tractare. Immo, consentiente eodem Ministro generali, etiam Ministri provinciales cum Vicariis aut Praefectis missionum provinciis suis commissarum ad eundem finem consilia habere convenit.

h) « Efficere, ut de subsidiis .... provideatur ».

Minister generalis igitur modos quaerendi talia subsidia approbare vel reprobare, immo et praecipere valet, simulque curare debet, ne fratres per modos approbatos zelose talia subsidia quaerentes ab aliis fratribus, etiam Superioribus, irrationabiliter impediantur.

5. Secretaria Missionum. — « Minister generalis habebit « specialem Secretarium pro Missionibus ab ipso Ministro ge« nerali cum suo Definitorio eligendum et a S. Congregatione « de Propaganda Fide confirmandum. Qui in Secretarium Mis« sionum assumitur, specialem de negotiis Missionum expe-

« rientiam et cognitionem habeat oportet. Ipsius erit, praeter « quotidianam negotiorum occurrentium expeditionem, sub Mi- « nistri generalis eiusque Definitorii immediata dependentia,

« *a*) negotia Missionum cum S. C. de Propaganda trac- « tare;

« *b*) quaecumque ad Missiones spectant earumque prospe- « ritatem et progressum tam in Provinciis quam in ipsis Mis- « sionibus, prudenter sed efficaciter procurare et urgere:

« *c*) de statu Missionum nostrarum in genere et uniu s- « cuiusque in particulari, de earum progressu vel regressu, de « obstaculis et mediis, de cooperatione Provinciarum, de statu « Unionis Missionariae, quotannis Rev.mo Definitorio in scrip- « tis referre;

« *d*) archivi Missionum sollicitam curam gerere;

« *e*) elenchum nominativum omnium missionariorum, « necnon cuiuslibet tum ut religiosi tum ut missionarii statum « informativum pro viribus exactum, ad manum habere;

« *f*) conspectum annuum Missionum nostrarum et fruc- « tuum spiritualium in *Actis Ordinis* publicari curare;

« *g*) eleemosynarum pro Missionibus acceptarum exac- « tam rationem tenere, easque ad respectivam destinationem « tempestive transmitti curare, aut iuxta acceptas instructio- « nes administrare et expendere;

« *h*) Superioribus Provinciarum aut Missionum, immo « singulis missionariis pro omni utili informatione operam li- « benter commodare ».

Qualitates in Secretario Missionum requisitae: CC. GG. n. 434 determinant: « Ad officia quae in Ordine nostro praecipua sunt, ut... Secretarii Missionum...., assumi debent viri gravitate, prudentia, integritate vitae, zelo regularis observantiae ac insuper doctrina, praesertim theologica et iuridica praestantes. Professi sint oportet a quindecim annis in Religione...; ceteri vero aetatis sint triginta quinque annorum ». Insuper « specialem de negotiis Missionum experientiam et cognitionem habeat oportet » (Stat. Miss. n. 5).

Idem Secretarius Missionum inter officiales Ordinis enumeratur (CC. GG. n. 395), a Ministro generali cum suo Defini-

torio eligitur (Stat. Miss. n. 5) et instituitur (CC. GG. n. 533), sed a S. Congregatione de Propaganda Fide confirmari debet (Stat. Miss. n. 5). Antequam munus exercere incipiat, coram Ministro et Definitorio generali iuramentum fidelitatis et de secreto in officio servando emittere tenetur (CC. GG. n. 534); eidem a Ministro generali aliqui Patres scriptores ex diversis linguis vel nationibus in adjutorium dentur (Ibidem n. 535). Sed ad capitulum generale, ut vocalis non vocatur (Ibidem n. 439); ad Consilium generale Ordinis pertinet, licet sine voce, ne quidem consultiva, nisi fuerit interrogatus (Ibidem n. 471). Tandem cum ad electiones peragendas et ad sententias ferendas, saltem quinque vocales seu iudices requirantur, deficientibus aliquibus Definitorii membris, ad complendum numerum quinarium Secretarii (generalis Ordinis et Missionum) pro illo congressu et causa a Praeside substitui debent cum voto decisivo et electivo, sicut alii Definitorii Patres (Ibidem n. 475).

Notare forsan iuvat CC. GG. n. 533 minime statuere, ut noster Secretarius missionum a S. C. P. F. confirmari debeat. Quoniam CC. GG. anno 1921, Statuta Missionum autem anno 1924 approbatae sunt, patet S. Congregationem de Prop. Fide ius confirmandi Secretarium Missionum sibi reservasse.

Officium Secretarii Missionum amittitur ad normam can. 183-195, et semper in Capitulo generali proxime sequenti vacat, etiamsi tempore intermedio collatum fuerit. (CC. GG. n. 405).

Secretarius Missionum, vi officii sui nullam habet iurisdictionem vel auctoritatem super missionarios vel aspirantes ad Missiones vel Collegia Missionum vel media pro vocationibus missionariis excitandis vel eleemosynis colligendis; sed quidquid perficit, « sub Ministri generalis ejusque Definitorii immediata dependentia » agit (Stat. Miss. n. 5).

Ipsius est, negotia fere cotidie in Curia generali occurrentia, in quantum ad Missiones spectant, diligenter expedire.

Speciatim debet — *a*) negotia Missionum cum S. Congregatione de Prop. Fide tractare. Praecipua eiusmodi negotia sub n. 4 horum Statutorum enumerantur, ut Missiones acceptare, resignare, pro earum divisione instare; missionarios Apostoli-

cos ad missiones destinare, transferre, revocare; nomina fratrum pro dignitate Vicarii vel Praefecti Apostolici proponere; insuper litteras, documenta, subsidia a S. Congregatione de Prop. Fide recipere, eorum responsa praeparare, iura et privilegia Ordinis vel missionariorum, si quae coram S. Congregatione de Prop. Fide impugnentur, tueri, dispensationes vel privilegia, quae pro bono missionum utilia vel necessaria esse videntur, a S. Sede petere; brevi verbo: fere omnia missionum negotia etiamsi ad aliarum S.S. Congregationum competentiam pertineant, per S. Congregationem de Prop. Fide tractare potest, modo mandatum Ministri Generalis accedat.

Officium Secretarii Missionum, in quantum res cum S. C. P. F. agit, clarius apparet, si eius officium cum officiis tum Procuratoris Generalis tum Postulatoris comparamus.

Procurator Generalis *vi officii sui* omnia ordinis negotia in universa Curia Romana expedit; sed licentiam Ministri Generalis prius petere debet, si quid procurare intendit, quod aut totum Ordinem aut totam aliquam provinciam respicit. (CC. GG. n. 521 et 522). Ipse Procurator Generalis igitur in tractandis rebus cum Curia Romana Ordinem nostrum repraesentat.

Postulator causarum Servorum Dei *vi officii sui* causas beatificationis et canonizationis agit, sed eidem nihil maioris momenti agere licet, inconsulto Ministro Generali (CC. GG. n. 536 et 537).

Secretarius Missionum vero, similiter ac Secretarius generalis Ordinis, vi officii sui neque Ordinem usquam repraesentat nec ullum negotiam umquam tractat; sed quidquid agit, ex mandato et sub Ministri Generalis eiusque Definitorii dependentia facit (Stat. Miss. n. 5; cfr. CC. GG. n. 533-535).

Procurator Generalis igitur per se non prohibetur etiam coram S. C. P. F. res Ordinis tractare; (Decret. S. C. Religios. 18 febr. 1899, Acta Ord. 1899, p. 21), attamen eadem S. C. P. F., quae per regulas in CC. GG. nostris statutas non ligatur, praefert atque vult negotia ad missiones spectantia mediante Secretario Missionum cum ipso Ministro Generali tractare absque Procuratoris Generalis interventu. Similiter S. Rituum

Congregatio causas Servorum Dei immediate per Postulatorem Ordinis peragere solet, quin Procurator Generalis interveniat.

b) Nomine et mandato Ministri generalis omnia quae ad Missiones spectant, tam in Provinciis quam in missionibus cum debita circumspectione ad personas et loca et res agere, consilia dare, zelum instigare.

c) Ministro generali eiusque Definitorio quotannis informationem universalem de omnibus, quae ad missiones referuntur, exhibere, praesertim res, quae statisticae vocantur, diligenter componere, labores tam in provinciis et in collegiis aspirantium, quam in Missionibus, eorumque effectus, obstacula perspicue explicare; brevi: omnia praeparare, ut Minister generalis ejusque Definitorium decisiones suas ex certa et, in quantum possibile est, perfecta rerum missionalium cognitione dare valeant.

d) In missionum archivo omnes litteras, relationes, conventiones et contractus, documenta, decisiones S. Congregationis de Prop. Fide et Definitorii generalis, sive in originali, sive in copia, diligenter secundum ordinem conservari debent, ut legitime requirentibus facile exhiberi possint.

e) Elenchum omnium missionariorum necnon de singulis missionariis notas quoad eorum vitam religiosam et missionariam ex informationibus antiquis et novis semper in promptu habeat necesse est.

f) Ut omnes Franciscani in toto terrarum orbe dispersi statum omnium missionum nostrarum ex authentico fonte facile cognoscere possint, quoquo anno in *Actis Ordinis* relatio de statu, de fructibus perceptis publicetur. Sic et provinciis et missionariis maior amor erga missiones nostras ingeritur, omnium cooperatio et zelus denuo excitatur, pro indigentibus missionibus auxilium efficacius supplicari potest.

g) Eleemosynarum exacta ratio tenenda est, sive in provinciis sive in Curia generali fuerint acceptae. Singula dona ad intentionem benefactorum aut ad determinatas missiones mittendae, aut secundum legitimam Ministri generalis ordina-

tionem pro missionibus in favorem collegiorum missionariorum vel Secretariae generalis missionum adhibendae sunt.

h) Dubia et difficultates theoreticae et practicae sive ad disciplinam regularem sive ad animarum curam spectantes, tam in provinciis quam in missionibus nunquam deerunt. Omnibus Superioribus provincialibus et in missione degentibus, omnibus ad missiones aspirantibus et praesertim ipsis missionariis actualibus liberum esto, informationes necessarias vel utiles, vel dubiorum solutiones petere, dummodo ipsis desint media ad hoc necessaria.

Caput II.

De Provinciarum ad Missiones Cooperatione.

6. Missiones determinatis Provinciis attribuantur. — « In votis habet S. Congr. de Prop. Fide ut, quantum fieri po- « test, Missiones Ordini concreditae inter varias Provincias ita « distribuantur, ut unaquaeque Missio committatur uni vel « pluribus Provinciis unius nationis et indolis. Solent enim « Provinciae de Missione sibi specialiter commissa magis solli- « citae esse, et missionarii eiusdem originis et formationis « maiori cum alacritate et animorum concordia laborare.

« Ad Definitorium porro provinciale spectat Missionem aut « partem Missionis a S. Congregatione per Ministrum generalem « oblatam (nisi obstent graves rationes) debita cum submissione « acceptare, aut acceptatam resignare, necnon rationes eam « resignandi aut mutandi Ministro generali exponere eiusque « iudicio acquiscere ».

Natura ipsa efficit ut quisque facilius intelligat ametque eos, qui ex familia sua, quam eos qui extra eandem orti sunt; et similiter melius cognoscimus magisque diligimus eos, qui eadem educatione et iisdem consuetudinibus utuntur, quam eos, qui diverso modo instituti alienos mores sequuntur. Natura quidem per gratiam supernaturalem dirigi corrigique debet et potest, sicut historia ecclesiastica abundanter demonstrat. Nihilominus prudentia per experientiam confirmata suadet, ut,

in quantum rationes altiores non obstent, homines eiusdem gentis, eiusdem Ordinis vel Instituti, immo et eiusdem provinciae, in uno laborum campo coniungere consultius sit. Unde ipsa S. Sedes desiderat, ut in Ordine nostro quaevis missio aut uni aut pluribus eiusdem nationis provinciis committatur.

Quamvis, « quasi hereditario munere nobis congruat catholicae fidei propagatio » (CC. GG. n. 648), tamen vi Regulae vel Constitutionum generalium nec Ordo noster nec provincia aliqua nec singularis Franciscanus strictam obligationem pro missionibus laborandi habet. Sed alienum prorsus a spiritu fundatoris nostri et a traditione continua Ordinis esset, si vel totus Ordo vel aliqua provincia vel individuus frater caritatem practicam missionum pro viribus non foveret. Propterea « rogamus quoscumque Ordinis nostri Superiores, ut missiones Ordini nostro a S. Sede commissas vel committendas singulari favore et sollicitudine prosequi numquam omittant ». (CC. GG. n. 648).

Quando igitur aliqua missio a S. Sede per Ministrum generalem alicui provinciae offertur, Definitorium provinciale ius quidem habet exposcendi prius sinceram perfectamque informationem de condicione talis missionis, ut prudenter deliberare atque omnes in utraque parte calculos ponere valeat, utrum onera atque officia cum missionis acceptatione coniuncta vere sustinere ac debite implere possit; attamen ob nimiam humanam prudentiam et anxietatem non evangelicam tale opus gloriam Dei maxime promovens ne refutetur, sed magis providentiae divinae confidatur. Deus O. M. suum opus numquam derelinquet, dummodo homines secundum voluntatem Vicarii sui in terris collaborent, in quantum propriae vires in se sane insufficientes hoc eis permittunt. Experientia saeculorum enim probat, Deum speciali modo benedicere illas provincias, quae magnanimiter et personas et subsidia sua missionibus sacrificant.

Missiones Ordinis nostri igitur inter provincias ita destribuantur, ut quaevis missio aut uni aut pluribus provinciis committatur. Sicut Ordo noster recipiendo aliquam missionem

nullum strictum ius quoad illam missionem acquirit, sed S. Sedes de eadem semper libere disponere potest, similiter etiam provincia acceptando aliquam missionem multo minus ius strictum in eandem obtinet. Nihilominus S. Sedes Ordini et Ordo provinciis aliquas facultates vel privilegia quoad suas missiones ex quadam gratitudine et aequitate concedit, usque dum graviores causae usui talium facultatum non obstent; sic v. c. Sancta Sedes ordinarie eos ad Vicarii vel Praefecti Ap.lici dignitatem eligit, qui a Ministro generali fuerunt praesentati; item S. Sedes Ordini et Ordo alicui provinciae nonnisi ob vere graves urgentesque causas ne partem quidem missionis nostrae aufert, quamdiu Ordo vel provincia illi missioni sufficienter providerit.

Eiusmodi facultates et privilegia, quae Ordo provinciis ob missionum susceptionem concedit, in sequenti fusius explicantur, v. g. facultas eligendi Superiorem regularem et consiliarios, — proponendi candidatos, ex quibus Vicarius vel Praefectus Ap.licus eligetur, — componendi ordinationes a missionariis observandas — visitandi ex Ministri Generalis delegatione propriam missionem, — proponendi Ministro Generali alumnos propriae provinciae, ut in missionem mittantur, in aliam missionem transferantur, ex missione revocentur, — recipiendi a Superiore regulari relationes de missionis fructibus spiritualibus et de pecuniis administratis.

7. Quomodo accipienda sit haec attributio.

a) « Qui regiones infidelium qua missionarii adire cu-« piunt, generatim ad Missionem propriae Provinciae (nisi ob « gravia motiva aliter visum fuerit) mittentur.

b) « Cum dicta Provincia vocationes habuerit sufficien-« tes, ita ut commissae sibi Missioni sola providere queat, no-« velli aliarum Provinciarum missionarii ad alias Missiones « auxilio indigentes mitti iam poterunt.

c) « Aliarum Provinciarum religiosi, si qui iam sint in « tali Missione laborantes, non ideo Missionem hanc aut relin-« quant quasi non amplius suam, aut aliam petant quae pro-« priae Provinciae fuerit assignata. Nam familiam unam et

« quamdam quasi communitatem unaquaeque Missio in Ordine « constituit, ad quam omnes et singuli missionarii ibidem labo- « rantes, aequali prorsus iure et nullo interiecto privilegio aut « differentia, pertinent. Si quandoque specialia adfuerint mo- « tiva huic regulae derogandi, casus subiiciatur iudicio Ministri « generalis ».

Tam in casu, quo aliqua missio uni provinciae est commissa, quam in casu, quo aliqua missio pluribus provinciis est commissa:

a) Alumni talis provinciae vel talium provinciarum generatim solummodo in missionem propriae provinciae mittuntur.

b) Alumni omnium aliarum provinciarum, ordinarie ad hanc missionem non amplius mittuntur, duminodo dicta provincia ad missionem sibi commissam sufficientes Patres destinet.

c) Alumni aliarum provinciarum, qui tempore quo missio determinatae provinciae vel provinciis est attributa, ibi iam laboraverunt, ibidem aequo iure ac omnes novi missionarii remanere possunt, immo absque Ministri generalis licentia inde discedere eisdem non licet.

8. Relationes Provinciam inter et Missionem sibi commissam. — « Quamdiu fere omnes missionarii eiusdem non sunt « Provinciae, i. e. quamdiu ultra septimam partem aliarum « Provinciarum sunt alumni, missio sub sola et directa depen- « dentia manet Ministri generalis eiusque Definitorii.

« Si autem fere omnes ad Provinciam pertinent cui concre- « dita est Missio, obligationes oriuntur et iura sequentia:

a) « quando Missioni providendum est de Vicario aut « Praefecto Apostolico, candidati ordinarie assumentur ex mis- « sionariis Provinciae. Ad hunc finem Minister provincialis « cum suo Definitorio opportunas informationes praebebit Mi- « nistro generali circa candidatos quos coram Deo aptiores « iudicaverint (cfr. n. 16).

b) « Definitorii provincialis est, post acceptum a singulis « missionariis votum consultivum de candidatis, Commissarium « eligere seu Superiorem regularem omnium Fratrum in prae-

« fata Missione degentium (cfr. n. 20 seqq), eique duos Consi-
« liarios adiungere (cfr. n. 31).

c) « Missionem (tam loca quam personas) interdum uti-
« liter visitabit Minister provincialis; non tamen sine praevia
« licentia et delegatione Ministri generalis, cuius nomine et auc-
« toritate visitationem quoque peraget missionariorum, si qui
« sint, ad alias Provincias pertinentium.

d) « Ad rectum spiritum in Missione promovendum Mi-
« nister provincialis cum suo Definitorio poterit quasdam ordi-
« nationes condere; quae tamen nihil contineant hisce Statutis
« contrarium et a Definitorio generali sanciri debeant.

e) « Minister tamen provincialis, secluso gravi motivo
« (et tunc Ministrum generalem consulat), in Missione non agat
« nisi per Superiorem regularem.

f) « Provinciae est per aptam educationem religiosam et
« missionariam, sive in scholis Provinciae sive in S. Antonii
« aut alio Ordinis collegio missionario, missionarios praeparare
« idoneos et sufficientes, tum ad curam animarum in christiani-
« tatibus iam existentibus exercendam, tum ad Fidem inter
« infideles praedicandam.

g) « Item de adminiculo subsidii materialis sollicita sit
« Provincia et, pro viribus, tum sustentationi suorum missio-
« nariorum tum operibus illis concreditis contribuat.

h) « Quoties Minister provincialis ex acceptis informa-
« tionibus iudicaverit necessarium aut utile, ut missionarius
« definitive aut ad tempus revocetur in Provinciam aut ad aliam
« Missionem transferatur, ipse rationes exponet Ministro gene-
« rali, qui (praevia licentia S. Congr. de Prop. Fide, ubi de
« definitive reditu missionarii apostolici agatur) illum revoca-
« bit aut alio mittet.

i) « Manente missionariis libertate directe scribendi ad
« Ministrum generalem, omnino expedit et decet, ut ipsi per
« litteras cum suo Provinciali frequenter communicent. Semel
« in anno mense Januario, brevem relationem annui laboris sui
« apostolici eidem mittant. Superior regularis respectivo Pro-
« vinciali accuratam relationem de statu totius Missionis sin-

« gulis annis communicet. In rebus gravioris momenti Provin-« cialem consulere non omittat.

j) « Minister provincialis in libro ad hoc destinato no-« mina consignet missionariorum, nec non tempus quo missi « fuerint aut ex Missione redierint aut in ea obierint. Notabit « quoque clariora gesta missionariorum, fructus sacri ministerii « et praecipuos eventus Missionis ».

Regula generalis discernendi missiones alicui provinciae attributas, et missiones immediate a solo Ministro generali dependentes:

Quamdiu saltem sex septimae partes missionariorum ad eamdem provinciam pertinent, missio eidem provinciae committitur. Quamdiu non sex septimae partes ssionariorum sunt unius provinciae, sed ultra septimam missionariorum partem ad alias provincias pertinent, missio ipso facto sub sola dependentia Ministri generalis existit; quod accidit quando ex missionariorum

NUMERO TOTALI	SUNT DE ALIIS PROVINCIIS
7 — 13	: 2
14 — 20	: 3
21 — 27	: 4
28 — 34	: 5
35 — 41	: 6
42 — 48	: 7
49 — 55	: 8
56 — 62	: 9

Econtra missio determinatae provinciae attribui potest, quando missionarii franciscani sunt

Ex alia vel aliis provinciis non plus quam	Ex eadem provincia ad minus:	Ergo insimul saltem:
1	6	7
2	12	14
3	18	21
4	24	28

Ex alia vel aliis provinciis non plus quam	Ex eadem provincia ad minus:	Ergo insimul saltem:
5	30	35
6	36	42
7	42	49
8	48	56
9	54	63
10	60	70
11	66	77
12	72	84

Nomine missionariorum (1) qui in numero septem partium computari debent, intelligendi sunt omnes Franciscani etiam simpliciter professi ad respectivam missionem legitime destinati, sive sint sacerdotes sive clerici sive laici, sive sint extranei sive indigeni. His igitur etiam illi patres et fratres adnumerandi sunt, qui ad tempus in aliis missionibus vel locis officia specialia obeunt, quin vero aliis missionibus incorporati fuerint: v. c. patres et fratres in procura centrali Shanghai; vel in seminariis centralibus extra propriam missionem officiis diversis fungentes, clerici in alio Vicariatu studiis vacantes.

Quando itaque aliqua missio uni provinciae est commissa, eo ipso eadem provincia iura et officia habet quae sequuntur:

a) Si quando novus Superior ecclesiasticus nominari debet, ordinarie ex missionariis huius provinciae eligetur. Ad

---

(1) Missionarii sensu stricto et principali sunt soli sacerdotes; ast tam in Codice J. C. (cfr. 296. 298, forsan etiam can. 295), et in decretis S. Sedis (ex. gr. de qualitatibus missionariorum S. C. P. F. 2 mali 1625 (Collect. I n. 13, p. 6), instr. 1659 (Collect. I. n. 135 p. 42); — de exercenda medicina, S. C. P. F. 20 nov. 1626 (Coll. I n. 28, p. 11), quod decretum inter fontes ad can. 592 allegatur, de vestibus saecularibus induendis S. C. P. F. 3 mart 1626 (Collect. I n. 21, p. 9); — 20 mart. 1685 et 23 mart. 1844 (Collect I n. 988, p. 557); — de negotiatione prohibita Urbani VIII. Constit. EX DEBITO, 22 Febr. 1633 (Collect. I n. 72 pag. 19); Clement. IX. Constit. SOLLICITUDO PASTORALIS 17 iun 1669 (Collect. I n. 181, p.57). S. C. S. Officii, 17 ian. 1883 (Collect. II n. 1589, p. 182), quam in CC. GG. n. 648-674 (De Missionibus et Terra Sancta) nomine missionariorum saltem secundarie comprehenduntur etiam fratres religiosi laici, in quantum sacerdotum ministerium plus minusve adiuvant, eorumque vitam, labores, persecutiones participant. Libri vero atque editiones periodicae de missionibus tractantes interdum sub uno missionariorum vocabulo indicant non solum sacerdotes fratresque religiosos laicos, sed etiam sorores religiosas; immo aliquae mulierum congregationes titulum missionariarium acceperunt atque S. Sedis approbationem ad talem titulum gerendum abtinuerunt.

quem finem et omnes sacerdotes missionarii Ordinis et Definitorium huius provinciae vota consultiva opportunis cum informationibus Minister generali offerent. Nisi causae verae graves obstent, Minister generalia praesentabit tres ex Patribus huius Provinciae et S. Congregatio de Prop. Fide ordinarie unum ex praesentatis in Vicarium vel Praefectum Aplicum eliget. Minister generalis et S. Congregatio de habilitate praesentatorum iudicant, ut patet, non tantum secundum informationes a missionariis et a Definitorio provinciali datas, sed etiam secundum relationes aliis ex fontibus acceptas, praesertim a Secretario missionum (cfr. n. 5), a Visitatore Generali, a Delegato Apostolico praestitas.

b) Pro eligendis Commissario eiusque Consiliariis Definitorium huius provincias colliget vota consultiva omnium missionariorum Ordinis nostri sive sint sacerdotes, sive fratres clerici sive laici, sive ad eandem sive ad aliam provinciam pertineant, dummodo solemnem professionem emiserint, et illi missioni legitime sint incorporati. Nam « professi a votis temporariis, de quibus in can. 574, carent voce activa et passiva (can. 578, 3°); item valet de exclaustratis (can. 639) et saecularizatis (can. 640, § 1, 1°). In Ordine nostro insuper « professi votorum simplicium..... voce activa et passiva ad officia Ordinis carent » (CC. GG. n. 88; cfr. etiam ibidem n. 73). Si quis demum mere transeunter in aliqua missione, etsi per longius tempus, commoretur, v. g. studiorum vel sanitatis causa, sed a Ministro Generali corpori missionariorum minimi aggregatus fuerit, proindeque, cessante commorationis causa, absque ulteriore licentia in propriam provinciam reverti posset et deberet, sane neque inter missionarios computari neque ut missionarius voce activa et passiva frui potest. Definitorium Commissarium vero ordinarie in capitulo provinciali eliget eique duos saltem Consiliarios adiunget (cfr. n. 29 et 31).

c) Minister provincialis, praevia licentia et delegatione Ministri generalis, missionem provinciae suae commissam quoad disciplinam regularem visitare potest (cfr. n. 4 e.). Ad quam

visitationem legitime peragendam delegatio Ministri generalis praerequiritur, quia Missionarii omnes, quamvis membra provinciae propriae maneant, pro tempore quo in missione degunt, qua religiosi iurisdictioni unius Ministri generalis et Commissarii ab eodem Ministro instituti subiiciuntur. Visitatio fiat, congrua congruis referendo, secundum normas in Constitutionibus generalibus n. 605-631 statutas (cfr. n. 4 e.).

d) Definitorium provinciale potest pro disciplina religiosa tuenda aliquas ordinationes condere (cfr. n. 4, *b*). Quae ordinationes 1) non *debent* fieri; ordinarie enim decreta et instructiones S. Sedis et Ministri generalis, Codex J. C. et haec Statuta Missionum in hunc finem omnino sufficiunt. De cetero in missionibus, quae pluribus provinciis sunt commissae, eiusmodi ordinationes fieri non possint;

2) *sint paucae,* ne missionarii variis regulis absque necessitate onerentur et proinde eas despiciant;

3) *non sint contrariae* sive iuri communi sive particulari (Constitutionibus generalibus et Statutis Missionum), quia eo ipso iam essent invalidae;

4) *debent a Definitorio generali sanciri,* quia Definitorium provinciale missionariis utpote iurisdictioni suae subtractis, ordinationes et mandata sensu stricto dare non valet. Definitorium generale examinando et emendando huiusmodi ordinationes (cfr. n. 4, *b*), optimam habet occasionem eliminandi omnia, quae sunt aut iuri contraria aut alibi praescripta aut missionariis nimis onerosa. Per sanctionem a Definitorio generali datam eaedem ordinationes obligant omnes missionarios religiosos in respectiva missione degentes, sive ad provinciam, a qua illae ordinationes sunt statutae, sive ad aliam provinciam pertineant.

e) « Minister provincialis..... in missione non agat nisi per superiorem regularem ».

Minister provincialis, sicut supra dictum est, stricta iurisdictione in provinciae suae alumnos, qui a Ministro generali ex auctoritate S. Sedis ad missionem destinati sunt, non amplius gaudet. Unde mandata proprie dicta nec Commissario nec aliis

missionariis imponere valet. Nemo tamen non videt, omnes missionarios, praesertim Commissarium, maxima gratitudine et filiali reverentia erga propriam provinciam eiusque Ministrum affectos atque intime imbutos esse debere, utpote erga parentes spirituales, a quibus educationem religiosam et sustentationem acceperunt et continuo accipiunt, qui et curis et laboribus cotidianis filios in longinqua missione degentes prosequi numquam defatigantur. Itaque et naturae rerum et menti horum Statutorum omnino correspondet, si tam Commissarius quam quilibet missionarius Ministro suo provinciali aliquid rationabiliter expetenti reverenter obsecundet.

Ratio specialis, ob quam ordinarie consultius est, ut Minister provincialis in missione non agat nisi per Superiorem regularem haec est, quia circumstantiae in missionibus vigentes a conditionibus in patria existentibus plerumque valde differunt; unde Ministro provinciali haud raro difficile erit iudicare, quaenam ordinationes missioni sint utiles, quaenam inutiles vel nocivae. Si ergo nonnisi per Commissarium agit cui circumstantiae missionis optime notae sunt, idem Commissarius facile Ministrum provincialem suum monere potest et debet de inutilitate vel nocumento alicuius dispositionis.

f) « Provinciae est.... missionarios praeparare idoneos.... ». Munus per se et principaliter Ministro generali incumbens, « aspirantibus ad missiones solidam educationem procurare et formationem huic vocationi consentaneam » (n. 4. *c.*), hic provinciae committitur, quae nonnisi secundum instructiones et sub vigilantia Ministri generalis missionarios idoneos praeparat. Exemplum horum studiorum habes in « programmate studiorum pro aspirantibus missionariis in Collegio S. Antonii in Urbe » (cfr. appendix II, pg. 36-38).

g) « Item de adminiculo subsidii materialis sollicita sit provincia ». Eo, quod Ordo vel Provincia curam assumit missionis, quae bona temporalia aut fere nulla aut saltem insufficientia pro missionariorum operumque sustentatione possidet, etiam onus quaerendi illa subsidia suscipit. Quae obligatio libere assumpta hic urgetur pro missione in genere et pro missionariis propriae provinciae speciatim.

h) Minister provincialis nullum fratrem ex missione revocare vel in aliam missionem transferre potest; si vero hoc eidem Ministro utile esse videtur, rationes suas Ministro generali exponat, qui aut ipse aut praevia licentia S. Congregationis de Prop. Fide, si requiratur, illum missionarium revocabit aut alio transferet (Collect. I n. 39, p. 12, die 8 mai, 1628; item n. 40, p. 12, die 20 iunii, 1628).

i) « Omnes religiosi .... libere possunt mittere litteras nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios superiores maiores, ad superiorem domus forte absentem .... ; et ab istis omnibus praedicti religiosi .... litteras item nemini inspiciendas recipere » (can. 611). Ideo quisque frater in missione vivens ad Ministrum generalem et suum P. Commissarium libere scribere potest. Quamvis Minister provincialis non sit superior alumnorum provinciae in missione laborantium, attamen relatio intima inter missionarios et provinciam postulat, ut missionarii tamquam boni filii ad Ministrum provincialem utpote patrem spiritualem suum saepe scribant, gaudia et dolores, fructus collectos aut perditos, maiorem vel minorem spem eidem fiducialiter enarrent. P. Commissarius autem ex officio omni anno Ministro provinciali suo perfectam relationem de missionariis eorumque laboribus, de totius missionis statu offeret. Si in fratrum directione difficultates experiatur, consilium sui provincialis petere ne negligat.

j) Minister provincialis regesta missionariorum, qui ex provincia sua sunt, diligenter conscribere faciat; quod per provinciae chronistam commode fieri potest.

Quando plures provinciae insimul unam missionem acceptant, ordinarie hae provinciae in solidum curam missionis assumunt. Raro fit conventio, secundum quam quaeque provincia quasi partem curae in se suscipit. Sive omnes insimul sive quaeque provincia pro parte sua debet:

1) missionarios sufficientes habilesque mittere (n. 7);
2) subsidia necessaria procurare (n. 8, g);
3) convenientem educationem futuris missionariis suis praebere (n. 8, f);

4) pro revocatione vel translatione alumni sui in missione degentis ad Ministrum generalem recurrere (n. 8, h);

5) regesta seu chronicam missionariorum suorum diligenter conficere (n. 8, j);

et 6) missionarii ad proprium provincialem saepius scribant (n. 8, i).

9. « Illae Provinciae quae nullam Missionem aut Missio-« nis partem sibi demandatam habent, meminerint se a coope-« ratione personali et reali ad apostolatum minime excusari. « Earum autem contributiones Ministro generali transmittan-« tur, qui de iis in singulis casibus disponet, habita ratione « maioris indigentiae Missionum, et, quoad vocationes ibi oc-« currentes, inclinationis quoque aspirantium ».

Quando aliqua provincia nullam sibi commissam missionem habet, Minister provincialis secundum spiritum franciscanum et ipse ferventer cooperetur et omnes sibi subditos frequenter exhortetur, ut pro missionibus Ordinis nostri valde indigentibus indefesse cooperentur qua precibus effundendis, qua vocationibus procurandis, qua eleemosynis colligendis. In omnibus domibus nostris *Unio Missionaria Franciscana* introducatur et per zelantes procuratores, quos quisque pro sua parte libenter adiuvet foveatque, efficiatur, ut quam maximos fructus producat. (Cfr. supra ad n. 2 dicta de collaboratione in aliis Unionibus Missionariis).

Contributiones, nisi Minister generalis aliter disposuerit, ad Curiam generalem mittantur, ubi, servata benefactorum intentione, pecuniae vel adhibebuntur pro generalibus expensis Secretariae Missionum, Collegiorum pro aspirantibus ad missiones, vel inter missiones magis indigentes distribuentur.

Fratres ex his provinciis oriundos, qui missiones aspirant, Minister generalis omni modo adiuvabit et in destinanda missione rationem quoque inclinationis aspirantium habebit, nisi graviores causae obstent.

Interea Minister provincialis vel ipse curet, ut tales aspirantes educationem missionariam meliori quo fieri potest modo

accipiant, saltem praebendo illis fratribus libros utiles, vel petat Ministrum generalem, ut tales fratres ad unum ex nostris collegiis missionariis mittat. In chronica et registris provinciae suae omnes notitias utiles de missionariis suis conscribere faciat. Missionarii ipsi ad Ministrum provincialem suum aliosque confratres saepius litteras scribant tum ad gratias agendas pro omnibus beneficiis a provincia propria acceptis tum ad excitandum et fovendum zelum et favorem missionum.

His mediis animus omnium fratrum huius provinciae optime praeparatur, ut, quando Minister generalis, consentiente vel rogante S. Congregatione a Propaganda Fide, huic provinciae missionem vel partem missionis offert (n. 6), eamdem, nisi graves obstent rationes, libenter et magnanimiter acceptent.

Caput III.
De Superioribus ecclesiasticis eorumque auxiliariis.

10. « Duplex auctoritas in Missionibus quae religiosis « concreduntur, ex voluntate legislatoris (Can. 296; Const. gen. « 651) habetur: *ecclesiastica* una, cui incumbit cura animarum; « *religiosa* altera, cuius est tueri disciplinam regularem ».

Missionarii religiosi iurisdictioni duarum Congregationum Romanarum subiiciuntur, i. e. Congregationi de Prop. Fide et Congregationi religiosorum negotiis praepositae. Can. 252 § 5 enim determinat: « Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio (de Prop. F.) sibi vindicat quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos, sive simul sumptos, tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos, sive simul sumptos attingit, ad Congregationem religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat ».

Ex auctoritate S. Congregationis de Prop. F. missionarios quoad animarum curam dirigit Ordinarius loci, sc. Episcopus, vel Vicarius vel Praefectus Apostolicus vel Superior ecclesiasticus missionis.

Ex auctoritate S. Congregationis religiosorum missionarios quoad vitam et disciplinam religiosam regit Minister gene-

ralis et Commissarius ab eodem Ministro institutus. Tam Ordinarius loci quam Commissarius sunt et vocari possunt Superiores ecclesiastici et religiosi et utriusque auctoritas est ecclesiastica et religiosa; sed ex usu et stylo Curiae Romanae et secundum terminologiam in Codice J. C. statutam (de religiosis can. 487 sqq.) necnon in his Statutis passim adhibitam Ordinarius loci vocatur Superior ecclesiasticus et Commissarius dicitur Superior religiosus vel regularis, eorumque potestas nuncupatur auctoritas ecclesiastica aut religiosa.

Causa ob quam religiosi qua tales etiam in missionibus laborantes subduntur Congregationi de Religiosis, est, secundum P. Theod. Grentrup S. V. D. (Arch. f. kath. Kirchenrecht, Bd. 93, 1913, p. 283), quia primarius finis omnium religiosorum vota publica emittentium ex voluntate Ecclesiae semper et ubique, ergo etiam in missionibus, esse et manere debet propria sanctificatio, cui alii fines quantumvis magni et quamvis ansam fundationis talis religionis dederint, nonnisi ut secundarii et fini primario subordinati adiungi possunt.

11. « Qua Missionarii igitur Fratres in Missionibus degen-« tes subsunt Ordinariis locorum, i. e. Episcopis, Vicariis et « Praefectis apostolicis, sive hi ex Ordine nostro sint, sive non. « Horum iurisdictioni, visitationi et correctioni subiacent in « iis omnibus quae pertinent ad Missionum regimen, curam ani-« marum, Sacramentorum administrationem, scholarum direc-« tionem (cfr. n. 15), oblationes intuitu Missionis factas, im « plementum piarum voluntatum in favorem eiusdem Missionis « (cfr. Can. 296 § 1. Item pro diversitate adiunctorum, cfr. Can « 295, 297, 298, 307, 630, 631) ».

« Superiorum Ecclesiasticorum dignitatem auctoritatem-« que summopere revereantur missionarii, eisque obdientia *ca* « *nonica* se obstrictos esse sciant. Nihil novi in cura animarum « illis inconsultis, aggredi praesumant. Ipsos ea, qua par est, « veneratione et honore prosequantur et excipiant, praesertim « venientes in ecclesiam proprii districtus; functionesque sa-« cras peragentibus assistant atque ministrent ».

Huius auctoritatis duplicis evolutionem historicam leviter delineare haud abs re erit. — Sicut quasi totum ius missionarium in Oriente, praesertim pro immensis illis regionibus, quae prius Indiae Orientales vocabantur, decursu saeculorum exaratum est, ita etiam haec iuris pars de duplici auctoritate. Inde a medio aevo usque ad medium saeculum decimum sextum, quando missionarii religiosi ad incipiendas missiones a S. Sede mittebantur, eorum dux vel, eo deficiente, alius Pater potestatem omnimodam ordinarie accepit tam quoad missionis quam quoad fratrum regimen obeundum. Eorum iurisdictio tam ampla erat, ut vere Legati S.mi Pontificis vocarentur et essent. (Bulla *Cum hora undecima* Gregorii IX. 3 id. junii, 1229). Independenter enim ab omni iurisdictione cuiusvis Episcopi munera sua explere potuerunt. Inter quos unus ex ultimis magisque notus erat St. Franciscus Xaverius. Qui heroes magis praeparatores quam cultores campi missionarii erant, viris apostolicis potius viam aperuerunt ac provisorium laborandi ordinem statuerunt, quam stabilem regularemque curam animarum exercebant. Evenit autem, ut in eadem regione sodales diversorum institutorum missionalium fidem propagarent.

Postquam vero missionis fundamenta vix posita erant, ut conversionum continuatio sperari posset, S. Sedes illuc Episcopos vel postea Vicarios ant Praefectos Apostolicos misit, quibus paulatim omnem potestatem de cura animarum reservabat, gradatim minuens vel plene tollens a Regularibus Superioribus omnem iurisdictionem praeter illam, quae illis ut Superioribus religiosis super subditos eorum vi regulae vel constitutionum competebat. Ita Clemens VIII in sua bulla *Religiosorum quorumcunque VI* id. nov. 1601 sancivit: « In concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse; in reliquis vero non Ordinario loci sed suis superioribus subjectos remanere ». Hanc capitis diminutionem Regulares non absque repugnantia acceperunt, eo magis quia novorum Vicariorum Apostolicorum modus procedendi veteres missionarios saepius offendit et quia Regulares serio dubitabant vel etiam bona fide negabant, illis litteris Apostolicis antiqua missionariorum re-

gularium privilegia aboleri. Deinde S.C.P.F. difficultates hinc exortas hoc modo composuit: singulis institutis missionalibus determinatas missiones exclusive committebat atque nonnisi ex instituti sodalibus Superiores ecclesiasticos assumebat, quos deinde institutorum Moderatores etiam in Superiores religiosos elegerunt. Quae electio in eo consistebat, quod Moderator Generalis tres candidatos ex subditis suis libere proponebat, ex quibus deinde S.C.P.F. unum in Vicarium vel Praefectum Apostolicum elegit.

Itaque duplex illa potestas iterum in una persona physica unita erat. Qui vivendi modus usque ad ultima decennia saeculi praeteriti in usu permansit. Qui status iuris optime declaratur decreto S.C.P.F., 12 aug. 1851 (Coll. I. n. 1065, p. 575), ubi tertio loco statuitur: « Si in Vicariatu Apostolico, cuius cura (Societati Jesu) committitur, existant alii presbyteri ipsius Societatis, electus habeatur etiam veluti *primarius Superior Regularis* presbyterorum Societatis, adeoque iuxta Instituti regulas eosdem moderetur ac regat ». Et quarto loco: « In gubernio missionis et in administratione et pecuniarum *quovis titulo obvenientium*, omnia ex sententia S. Congregationis de Prop. Fide peragere debeat, ad eamque singulis saltem trienniis de vero statu missionis referre teneatur tum circa spirituales, tum circa temporales res ipsam respicientes ».

Sed duplex illa potestas tandem iterum divisa est pro missionibus Societatis Jesu per decreta S.C.P.F., 23 febr. 1880 (Coll. II. n. 1531, p. 133) et 18 ian. 1886 (Coll. II. n. 1651, p. 213-214), quae decreta deinceps ut normae generales a S.C.P.F. in aliis missionibus assumptae sunt. Denique per praesens Statutum idem systema etiam in missiones Ordini nostro accreditas introductum et assumendo fere verbotenus supradicta decreta (1).

---

(1) Historiam huius mutationis descripsit cl. P. Alfons Virth, S. J., Die deutschen Jesuiten in Indien; Regensburg, 1920, p. 128 - 133. — Ordinationes P. Generalis Pacifici Monza an. 1913 editæ priorem iuris statum mutare non valebant, quia a S. C. P. F. approbatæ non erant.

Difficultates utriusque systematis fere ad haec reduci possunt.

Si duplex illa potestas in manu Ordinarii loci unitur,

1) habetur communitas in Ordine religioso quasi independens a Supremo Ordinis Moderatore, quia talis communitatis Superior nulli Ordinis auctoritati subiicitur;

2) habetur Superior religiosus *perpetuus*, quia S. Sedes Ordinarium loci pro tota eius vita instituere solet; dum per can. 505 pro universis Ordinibus et per CC. GG. n. 401-405 pro Ordine nostro sapienter statuatur, ut Superiores religiosi sint *temporarii*. Si quis missionarius religiosus igitur cum suo Ordinario loci, qui simul est suus Superior religiosus, non convenit, in missione quasi nullam spem mutandae condicionis in melius habet, eique non remanet nisi missionem derelinquere et in patriam reverti. Nam recursus ad Supremum Ordinis Moderatorem iuridice impossibilis, quia Ordinarius loci iurisdictioni Moderatoris generalis non subest; recurrere autem ad S. Sedem nonnisi paucissimi in illis casibus raris audent, in quibus culpa Ordinarii est certa facileque probatu;

3) missionarii religiosi loci Ordinario duplici, proinde maiore oboedientia astringuntur quam ceteri religiosi Superioribus suis. Quae duplex oboedientia, data occasione, eo gravius sentitur, quo magis condiciones vitae missionariae religiosos obligant atque assuefaciunt, ut ipsi soli labores cotidianos ac modum laborandi eligant et exsequantur.

Si vero duplex potestas inter duas personas distribuitur:

1) Superiores multiplicantur, quod, tamquam inutile vel immo nocivum percipitur, praesertim ubi nonnisi pauci missionarii religiosi in aliqua missione habentur.

2) praebetur occasio conflictuum vel dissensus inter duos Superiores praesertim quoad regimen personarum et administrationem bonorum temporalium.

Uterque modus igitur sua commoda ac incommoda praebet. Finis autem cuiusvis modi esse debet, ut neque fidei propagatio, quae est principale missionariorum officium, neque disciplina regularis, utpote optimum spiritus apostolici fundamentum,

damnum patiatur. Aliquam auctoritatem vero, praeter Ordinarium loci, esse prorsus necessariam, qua missionariorum spiritus apostolicus, pietas sc. et patientia et fortitudo et humilitas et oboedientia semper denuo excitetur, inflammetur, conservetur, experientia quasi universali constat. Nam non solum religiosi, sed etiam saeculares missionarii talem auctoritatem sibi statuendam esse decreverunt. Plures uniones missionariorum saecularium enim post breve tempus activitatis in missionibus transactum in congregationes religiosas cum votis se transformandas esse consenserunt; ceterae paucae uniones autem tales constitutiones seu organizationes cum Superioribus et Moderatore Generali acceperunt, quales a veris congregationibus in praxi non multum differunt.

12. « Vicarii et Praefecti Apostolici *ad Ordinem pertinentes*, « non ideo neque minori neque maiori in Missionibus Ordinis « potestate pollent: pendent enim directe a S. Congr. de Prop. « Fide, a qua iisdem ac alii Ordinarii donari solent facultati- « bus. Igitur *iuridice* distincta manet duplex auctoritas, perin- « de ac si praelatus ecclesiasticus ex Ordine non esset.

13. « Attamen pro speciali quo erga nostram Religionem « obnectuntur vinculo, decet omnes Fratres eos particulari pror- « sus obsequio filialique prosequi affectu; sicut et ipsos vicissim « auctoritatem religiosam eiusque liberum in Fratres exercitium « tueri par est. In negotiis maioris momenti, unde praecipue in « Ordinem onera derivarentur aut notabilis mutatio in Missio- « ne nobis credita introduceretur, prius Superiores Ordinis cer- « tiores reddere et cum ipsis convenire dignentur. Instanter « quoque rogantur, ut annuum conspectum Missionis necnon « fructuum spiritualium, quem S. Congregationi de Prop. Fide « exhibere tenentur, etiam Ministro generali sive directe sive « per Superiorem regularem communicent, addendo simul de- « siderata sua aut tales animadversiones quas, etiam circa vi- « tam religiosam et disciplinam regularem, a Ministro generali « utiliter cognosci iudicaverint ».

Ex supra de duplici auctoritate dictis facile patent, quae in nn. 11, 12, 13 determinantur vel potius explicantur. Fusio-

rem huius materiae explicationem dant canonistae.

Obedientia Canonica intelligitur obligatio implendi voluntatem (mandata) Ordinarii loci aliquid circa animarum curam praecipientis, utpote cui, « ius et officium est gubernandi diocesim (vel missionem, can. 294, § 1) tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria, coactiva ad normam s. canonum exercenda » (can. 335, § 1).

Obedientia Religiosa e contra est obligatio implendi voluntatem Superioris religiosi aliquid circa disciplinam religiosam praecipientis; nam « Superiores et Capitula, ad normam constitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditos; in religione clericali exempta habent iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno quam pro externo » (can. 501, § 1). Haec duplicis obedientiae distinctio invenitur in responsis S. Congreg. de Prop. F., 18 ian. 1886 datis (Collect. II, n. 1651, p. 212 ad 2): « Quatenus sunt Religiosi, subduntur Superioribus regularibus *vi voti* iuxta Constitutiones Societatis;... in iis, quae spectant ad curam animarum... subsunt Vicario Apostolico *obedientia canonica* ».

Si quis Ordinarius loci nova onera missioni imponeret, quae in fine Ordinem nostrum aggravarent, vel si missionis statum notabiliter mutaret, (v. c. vocando alia instituta in missionem), valide quidem ageret, sed contra aequitatis regulas peccaret, neque Ordo noster eiusmodi onera suscipere deberet, immo Minister generalis contra notabilem missionis mutationem ad S. Sedem recurrere posset, quia ex voluntate S. Sedis « ipsi (Ministro generali) competit... cum Vicariis et Praefectis Apostolicis de mediis agere ad prosperitatem et splendorem missionum nostram conducentibus ».

14. Tum « Ad ministeria curam animarum concernentia « tum ad curanda pia Instituta quae sunt in Ordinarii pote- « state, destinatio personarum, quas Superior regularis prae- « sentat, et collatio iurisdictionis pertinet ad Superiorem ec- « clesiasticum; amovere vero quempiam ab officio uterque po- « test, iuxta Can. 454, § 5 ».

In iisdem responsis modo citatis ad 3 legitur: « Tum ad

ministeria missionariorum curam animarum concernentia, tum ut seminaria, catechumenatus, hospitalia, scholae populares et ad curanda pia instituta, quae sunt in Vicarii Ap. potestate, his similia, *destinatio* personarum, quas Superior regularis *praesentat,* et collatio iurisdictionis pertinet ad Vicarium Aplicum.; ideoque etiam harum personarum remotio et translatio pertinet ad Vicarium Aplicum. et ad Superiorem regularem iuxta normas statutas a Benedictio XIV in Bulla « Firmandis » § 11.... » (1). Quae normae sunt eaedem ac in can. 454, § 5 pro parochis religiosis statutae.

Destinatio est modus, quo competens auctoritas ecclesiastica ad normam s. canonum providet officio ecclesiastico (can. 147, § 1) eaque fit per institutionem a legitimo Superiore factam, si praecesserit praesentatio a patrono aut nominatio (can. 148, § 1). Can. 456: « Ad paroecias religiosis concreditas Superior, cui ex constitutionibus id competit, sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci; qui eidem, servato praescripto can. 459, § 2, institutionem concedit ». Congrua congruis referendo similem normam pro missionibus habemus: In missionibus Ordini nostro commissis tam ad ministeria curam animarum concernentia quam ad curanda pia Instituta, quae sunt in Ordinarii potestate, Superior regularis, sc. Commissarius, sacerdotem vel laicum suae religionis praesentat Ordinario loci; qui eidem sacerdoti « si antea fuerit a proprio Ordinario (loci) idoneus repertus » (can. 149) institutionem concedit; si est officium, quod per laicum impleri potest, simplex introductio vel officii traditio sufficit. Simul cum institutione confertur eo ipso potestas pro officio implendo necessaria et ordinarie simul conferuntur aliae facultates utiles.

Quoad verba: « quos Superior regularis praesentat », dubium motum est, utrum eadem sint intelligenda de quasi praesentatione generali, quam Moderator Generalis Ordinis perficit mittendo subditos suos in missiones; quo ipso actu Minister

(1) 6 Nov. 1744; Coll. I. n. 348, p. 176.

Generalis eosdem subditos suos Ordinario missionis offert vel quasi praesentat, ut iidem sub directione ipsius Ordinarii varia missionis officia impleant; — an intelligenda sint de particulari praesentatione, qua Superior regularis s. P. Commissarius potestatem ad instar Provincialis habens, offert determinatum subditum suum ad determinatum officium eidem a loci Ordinario conferendum.

R. 1. Textus ipse clare loquitur de praesentatione ad varia missionis officia missionariis religiosis conferenda, minime vero de destinatione missionariorum religiosorum ad missiones.

2. Decretum S.C.P. F., 16 ian. 1886, ex quo hic textus verbotenus est transsumptus, agit de iure vel potestate Superioris regularis in missione existentis circa subditorum suorum destinationem ad diversa missionis officia. Citatum decretum vero nihil est nisi authentica declaratio praecedentis decreti S. C. P. F., 23 febr. 1880 editi, in quo legitur: « Missionarii Societatis Jesu *immediate* gubernentur ab aliquo Superiore regulari... a Praeposito Generali constituto et ab eodem revocabili... Hanc autem ordinationem S. Congregatio ita intelligendam esse declaravit; Praepositus Generalis, qui propter loci distantiam auctoritatem suam *immediate* exercere nequit,... sibi substituat Superiorem regularem... Superior autem regularis habeat omnes facultates, quas Provincialis in provincia sua... exercere solet... Praeterea... (hic Superior regularis) relate ad destinationem missionariorum subest Vicario Apostolico. Attamen.... eum Vicarius Apostolicus, quando destinationes sunt faciendae, in concilium adscivit eiusque judicio defert, in quantum fieri potest, quamvis penes ipsum Vicarium Apostolicum remaneat ipsa nominatio et collatio iurisdictionis ». — Sex annis post (1886) Praepositus Generalis S. J. authenticam praecedentis decreti explicationem petivit, proponens 3. loco dubium: ad quem spectat ius mutandi eorum (= missionariorum S. J.) destinationes? — accepitque R. ad 3. « tum ad ministeria... tum ad curanda pia instituta... destinatio personarum, *quas Superior regularis praesentat*, et collatio iurisdictionis pertinet ad Vicarium Apostolicum; *ideoque* etiam harum personarum remotio

et translatio pertinet ad Vicarium Apostolicum et ad Superiorem regularem iuxta normas statutas a Benedicto XIV in bulla *Firmandis,* § 11.... Qua de re supradicta Congregatio Concilii decrevit, huiusmodi parochos (regulares) tam ab Episcopo quam a Superiore regulari, *aequo iure,* non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas iudicii sui aprire, multoque minus probare et verificare debere ».

Vi huius decreti duo statuuntur: tum ordo conferendi religiosis officia tum ordo removendi eosdem ab officiis. Tamquam ordo conferendi officia determinatur hic: Superior regularis offert vel repraesentat subditos suos, quos Ordinarius loci, dummodo eos habiles invenerit, definitive ad officia destinat delegatque. Est itaque generatim idem ordo ac pro institutione parochorum regularium a Benedicto XIV, in bulla *Firmandis* § 11 necnon per can. 456 praescriptus est. — Tamquam ordo removendi ab officiis expresse idem ordo indicatur, qui in bulla citata pro removendis parochis regularibus statutus fuit et verbotenus fere in can. 454, § 5 repetitur. — Attentum lectorem non effugit, verbo « *ideoque* » edici, ordinem remotionis non esse nisi logicam consequentiam ordinis institutionis: ex eodem iure enim, quo collatio officii indispensabiliter praesupponit utriusque Superioris (ecclesiastici et regularis) consensum, etiam ad validam efficacemque remotionem ab officio sufficit, ut alterutrius consensus revocetur.

NB. Textus n. 14 omittit verbum « ideoque », quia in textu decreti S.C.P.F. 1886 hoc verbo incoepta erat citatio bullae *Firmandis,* dum redactores huius n. 14 ad novum ius in can. 454, § 5 provocare volebant. Quia vero uterque textus (can. 454, § 5 et bullae *Firmandis*) fere ad verbum congruunt, etiam sensus et connexus logicus in no. 14 retinetur idem ac in citato decreto 1886 habetur.

P. Georg. Vromant (Jus missionariorum, tom. II, de personis, Lovanii 1929, n. 88, 2, p. 86) recte annotat: « Immo, siquidem religiosus etiam in missionibus vivit sub oboedientia proprii Superioris, ut in aliqua determinata statione missionis

sacro ministerio fungatur, a Superiore proprio (cui ex constitutionibus id competit) Ordinario loci est praesentandus. Id expresse definitur pro religioso parocho vel quasi-parocho (can. 456), necnon pro vicario cooperatore (can. 476, § 4). Ordinarius loci missionario deinde *institutionem* concedit, si parochus vel quasi-parochus est nominandus; — vel praesentatum *approbat, si agitur* de vicario cooperatore. Attenta regula de legibus datis in similibus (can. 20), eadem norma applicanda videtur stationibus missionum, quamvis nondum in quasi-paroecias canonice erectis ». Norma in can. 476, § 3 et § 4 data pro nominandis vicariis cooperatoribus in quasi-paroeciis « consulenda videtur pro stationibus in quasi-paroecias nondum erectis ».

Legitur in can. 454, § 5: « Parochi autem ad religiosam familiam pertinentes, sunt semper, ratione personae, amovibiles ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu: nec alter alteri causam iudicii sui aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Aplicam Sedem ».

Per amotionem, etiam a solo Superiore religioso factam, religiosus amittit officium suum cum omnibus iuribus et obligationibus huic officio connexis, nisi pro tempore vacationis, i. e. usque ad alius missionarii institutionem, aliud inter loci Ordinarium et Commissarium conventum fuerit. Recursus ad S. Sedem esset mere devolutivus, et amotio ab officio cum omnibus consequentiis iuridicis maneret in vigore, etiamsi Ordinarius loci contra talem amotionem protestaretur et interim religioso amoto iura et obligationes officii amissi restituere vellet, quia talis restitutio ipso iure esset invalida, saltem usque dum S. Sedes aliter disposuerit.

15. « Quoad muneris missionarii exercitium si aliter a « Superiore, aliter a Vicario (aut Praefecto) decerni contingat, « huius decretum exsequendum est. Si quae scholae a religiosis « nostris, servatis servandis, eriguntur et sustentantur, quoad « auctoritatem et inspectionem Ordinarii servetur ius commune, « iuxta Can. 1381, 1382 ».

Hic in memoriam revocatur can. 296 § 2: « Quamvis Vicariis et Praefectis Aplicis nullo modo liceat, praeter casus in iure praevisos, se in disciplinam religiosam ingerere, quae a Superiore religioso dependet, si tamen circa ea, de quibus in superiore paragrapho (et supra n. 11 enumeratis), conflictus oriatur inter mandatum Vicarii aut Praefecti Aplici et mandatum Superioris religiosi, prius praevalere debet, salvo iure recursus in devolutivo ad S. Sedem et salvis peculiaribus statutis a Sede Aplica probatis ».

Quia de eiusmodi conflictu provocando interdum plus aequo timetur, statum iuris parum fusius explicare haud inutile videtur.

Auctoritas Ordinarii loci ex solo iure non est nobilior neque superior auctoritate Ordinarii religiosi, qualis secundum nostrum ius particulare est Commissarius seu Superior regularis in missione. Si Ordinarius loci merito gloriatur, se potestatem suam immediate a S. Congregatione de Propaganda Fide accipere ab eaque immediate dependere, etiam Ordinarius religiosus, mediante Ministro generali, potestatem suam a S. Congregatione Religiosorum negotiis praeposita accipit ab eaque dependet. Utraque igitur auctoritas ab eadem S. Sede et ex eodem iure canonico derivatur, et utraque ab invicem independens existit. Unde intra limites propriae competentiae utraque auctoritas est unice legitima, ita ut loci Ordinarius quoad disciplinam regularem aliquid praescribens eodem prorsus iure illegitime et invalide agat ac Superior religiosus quoad animarum curam aliquid ordinare praesumens. Superioris religiosi est tantummodo invigilare subditis suis, ut Ordinarii loci voluntatem et ordinationem pro cura animarum datam debite exequantur. Conflictus igitur inter legitima praescripta Ordinarii loci et Commissarii ob utriusque auctoritatis distinctionem et independentiam per se excluditur; unus enim in alterius provinciam evagare non valet.

Accidere autem potest, quod utraque auctoritas intra competentiam propriam, ac per se legitime, ordinationes det, quarum una alteram aut impossibilem aut nimis difficilem red-

dit. Quo in casu ordinatio Ordinarii loci praevaleat oportet, non ob altiorem auctoritatem praecipientis, sed ob altiorem et nobiliorem et *magis necessarium finem* praecepti a loci Ordinario praescripti. Finis enim praecepti, quod a loci Ordinario vi officii procedit, est salvatio fidelium et infidelium a damnatione aeterna; e contra finis praecepti a Superiore religioso editi est conservatio et augmentum sanctificationis paucorum fratrum religiosorum, quorum sanctificatio insuper, ceteris paribus, per bonam curam animarum, utpote optimum caritatis exercitium, non solum non impeditur, sed securius conservatur et magis augetur quam per quodcumque regularis disciplinae exercitium. Exinde apparet vera ratio, ob quam in casu conflictus S. Congregatio Religiosorum (et consequenter nostra Curia generalis) fere semper cedit S. Congregationi de Prop. Fide, utpote quae praeclarissimum et maxime necessarium finem, salutem sc. multorum baptizatorum et innumerabilium non-baptizatorum obtinere laborat.

Obligationem tendendi ad perfectionem christianam, quae omnibus religiosis incumbit (can. 593), religiosi praeprimis per votorum, Regulae, Constitutionum observationem implere debent; missionarii similiter ac parochi religiosi eandem obligationem implent primarie per altius et perfectius medium, sc. per labores apostolicos, secundarie et in quantum perfectius illud medium non impeditur, etiam per votorum, Regulae, constitutionum observantiam.

Praedicta doctrina optime illustratur per instructionem S. Congregationis de Propaganda Fide 30 sept. 1848 (Collect. I, n. 1033 pg. 562): « S. Congregatio denuo declarat et Sanctitas Sua confirmare dignatus est: missionarios regulares, excepta sola disciplina interna regulari, quoad omnia negotia et directionem missionum sub iurisdictione Vicariorum Aplicorum esse. Missionariis regularibus, qui duplici oboedientia ligantur, i. e. erga caput missionis et erga Superiorem, prior semper praeponderans esse et proinde, in casu conflictus, prior vincere debet nec paralysari seu impediri potest per secundam. Esset sane sat singularis postulatio, si religiosus praeferre deberet

oboedientiam erga Superiorem Ordinis prae illa, quae est super omnem aliam oboedientiam, i. e. supra supremam auctoritatem S. Sedis et Vicarii Christi, vel si quodcumque punctum regularis et internae disciplinae praeponderaret obligationibus principalibus et gravissimis missionarii, et bonum privatum bono publico atque saluti animarum, quae eis sunt concreditae. — S. Congregatio est persuasa, talem conflictum numquam accidere posse, si Superiores regulares ipsi spiritu evangelico animati ac debita oboedientia et reverentia erga S. Sedem atque erga eius repraesentantes et Vicarios seu Vicesgerentes sunt imbuti et si solo bono religionis christianae diriguntur, quod certo magna ex parte dependet a sanctitate ministrorum, quibus illud est commissum ».

Melioris explicationis causa aliqua exempla adiungimus, quibus conflictus inter mandatum Ordinarii loci et mandatum Superioris religiosi oriri potest.

Ad competentiam Superioris religiosi certo pertinet, omnia praecipere, quae ad implendas obligationes religiosis suis incumbentes vel necessaria vel vere utilia sunt. Tales obligationes sunt v. c. observatio votorum, Regulae, Constitutionum Ordinis; exercitia spiritualia, assistentia vel persolutio Missae, oratio mentalis cotidiana, alia pietatis officia in Ordine praescripta, portare habitum vel vestes statui convenientes.

Itaque, ex. gr. si Commissarius omnes subditos pro exercitiis spiritualibus peragendis convocaret eo tempore, eoque loco, quo Ordinario loci nocivum bonae animarum curae esse videtur, idem loci Ordinarius suo iure prohibere valet, ne exercitia spiritualia eo tempore aut eo loco aut eo modo fiant. Similiter, quando Superior regularis subditis suis certas diei horas determinaret, quibus orationem mentalem, visitationem SS.mi Sacramenti, alia pietatis exercitia, studium, recreationem facere debeant; si vero iisdem horis Ordinarius loci Missam pro populo, praedicationem, catechesim sive in ecclesia sive in schola sive in domo privata faciendam, confessionum receptionem vel alios labores ad curam animarum pertinentes praescripsisset, hoc loci Ordinarii praeceptum praevalere deberet.

Missionarius religiosus tali in casu exercitia a Commissario praescripta alio diei tempore perficiat; si vero accideret, quod per labores apostolicos ita sit defatigatus, ut illa exercitia nonnisi cum difficultate peragere possit, se ab iisdem pro tali vice excusatum habere potest, quia « melior est oboedientia quam victimae » (1 Reg. 15, 22).

Quibus exemplis apparet, ipsa disciplinae religiosae exercitia nonnisi raro, saepius autem et facilius circumstantiae (temporis, durationis, loci etc.) eorumdem exercitiorum causas conflictuum praebere posse. — In citato can. 296 § 2 in fine clausula additur: « Salvis peculiaribus statutis a Sede Aplica probatis ». Quando igitur Commissarius aliquem vitae religiosae actum eodem prorsus modo praescribit, quo in Statutis a S. Sede approbatus est, ab inferiore S. Sedis, qualis est loci Ordinarius, reprobari sive interdici sane non potest.

Quoad scholas in canonibus ad finem numeri 15 citatis dicitur: « Can. 1381 § 1. Religiosa iuventutis institutio in scholis quibuslibet auctoritati et inspectioni Ecclesiae subiicitur. — § 2. Ordinariis locorum ius et officium est vigilandi, ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam contra fidem et bonos mores tradatur aut fiat. — § 3. Eisdem similiter ius est approbandi religionis magistros et libros; itemque, religionis morumque causa, exigendi ut tum magistri tum libri removeantur ».

Can. 1382: « Ordinarii locorum sive ipsi per se sive per alios possunt quoque scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus etc., in iis, quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare; a qua visitatione quorumlibet religiosorum scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae ».

Celeberrima Leonis XIII. Const. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881, pro Anglia data et postea ad plures missiones extensa, cuius tenor partim in Codice J. C. receptus est, partim in stylum et praxim S. Congregationis de Propaganda Fide transivit atque in his Statutis Missionum O. F. M. haud parum applicatur, de scholis religiosorum in missionibus haec fere statuit:

I. Scholae iam existentes: *a*) primariae, quae etiam elementares vel populares vel pauperum vocantur, ab Episcopo loci iure proprio et ordinario quoad *omnia* visitantur; earum finis si non unicus, certo principalis est religiosa instructio discipulorum, ideoque et scholae parochiales vocari solent;

b) quoad ceteras (altiores) scholas firma atque integra manent privilegia, quae illis religiosis (Jesuitis) a S. Sede collata sunt. — N. B. - S. Congregatio de Propaganda Fide hodie tamquam regulam generalem pro omnibus religiosis sequitur responsum die 18 Jan. 1880 PP. Jesuitis datum. « Ad 4. Quoad collegia et collegiorum scholas atque convictus in quibus religiosi viri secundum Ordinis sui praescripta inventuti instituendae operam dare solent, et *recta ratio postulat* et S. S. vult firma atque integra privilegia Regularibus concessa, adeoque tum regimen (ordo studiorum, administratio oeconomica) eorum institutorum, tum personarum in iis destinatio ad Superiores regulares spectat » (Collect. II. n. 1651, ad 4. p. 213). Observari etiam debent can. 1381, § 3 et can. 1382.

II. Novae scholae erigendae: « Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere erigendo novas.... scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Aplicae, non licere ». Quod confirmatur can. 497: « ad erigendam.... in locis S. Congregationi de Propaganda Fide subiectis *quamlibet religiosam domum*, requiritur beneplacitum Sedis Aplicae et Ordinarii loci consensus in scriptis datus ».

III. Scholae mutandae sive convertendae: « Religiosis sodalibus non licet, ea quae instituta sunt in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Aplicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem ».

16. « Modus Praesentandi Candidatos. — Electio Superioris ecclesiastici spectat ad S. Sedem; ideo statim ac « vacaverit Vicariatus (aut Praefectura), Provicarius (aut Pro« praefectus) moneat S. Congregationem de Propaganda Fide. « Superior etiam regularis de superveniente vacatione certiorem « faciat Ministrum generalem; simulque significet omnibus

« Patribus missionariis, etiam indigenis, ut unusquisque sepa-
« ratim et secreto informationes mittat Ministro generali, tres
« illos Patrem indicando quos quisque coram Deo aptiores tum
« ob zelum et pietatem, tum ob capacitatem et rerum experien-
« tiam existimat qui in regimine Missionis succedere possint.

« Si Missio alicui Provinciae commissa est, etiam Defini-
« torium provinciale tres candidatos Ministro generali prae-
« sentet.

« Quibus acceptis informationibus, Minister generalis quos
« omnibus perpensis aptiores iudicaverit, S. Congregationi, eius
« rogatu, proponet.

« Ubi agitur de adlegendo coadiutore cum iure successionis,
« eadem procedendi ratio servetur ».

Fere omnes locorum Ordinarii ab una S. Sede nominantur: Episcopi vi can. 329, § 2, Vicarii et Praefecti Apostolici vi can. 293, §1, Abbates et Praelati *nullius* ad norman can. 320, § 1.

Propterea « qui diocesim regendam, ut supra, suscepit, quamprimum S. Sedem moneat de sede impedita ac de assumpto munere » (can. 429, § 4), et « capitulum (vel coetus consultorum dioecesanorum, can. 427) quantocius de morte Episcopi.... Sedem Apostolicam certiorem faciant » (can. 432, § 4).

Ideoque omnes « ad quos vicariatus aut praefecturae cura devenerit ad normam can. 309, ii debent quamprimum certiorem facere Aplicam Sedem » (can. 310, § 1) sive sint Provicarii aut Propraefecti sive ab his deputati sive seniores in territorio missionarii.

Ne sedis vacantia inutiliter protrahatur, Superior regularis, ubi primum constet officium Ordinarii loci vacare sive ob mortem sive ob officii amissionem ad normam can. 183-195, moneat omnes Ordinis nostri sacerdotes, sive exteri sint sive indigeni, sive cuicumque Ordinis provinciae sive nulli provinciae adscripti sint, ut quisque secreto Ministro Generali tres sacerdotes, additis opportunis informationibus, nominet quos habiliores pro missionis regimine obeundo iudicet.

Superior regulares etiam ceteros sacerdotes omnes in missione laborantes ad ternam suam Ministro Generali porrigen-

dam invitare potest, quia magni sane momenti est, ut Minister Generalis quam plenissimas informationes accipiat. Hoc modo Minister Generalis, quando S. C. P. F. ternam, ut vocari solet, rogat, absque delatione tres Patres proponere valeat.

Si Ordinarius loci ex certa provincia ad normam n. 8, a. ordinarie assumatur, Patres illius provinciae per se nominandi sunt, nisi graves rationes hoc dissuadeant, quae Ministro generali, ut patet, indicandae sunt, Informationes, si quae utiliter addendae videantur, moderate, ad rem, secundum veritatem certo cognitam, absque charitatis laesione fiant. Si ex informationibus adiectis aliud non patet, ordo nominandi Patres talis supponitur, ut qui primo loco est scriptus, tamquam dignissimus, qui secundo loco, tamquam dignior, qui tertio loco, tamquam dignus proponatur. En exemplum:

Ego infrascriptus pro regimine Vicariatus (Praefecturae) N. suscipiendo habiliores esse puto Patres quorum nomina hic adiungo: P. N. N.
P. N. N.
P. N. N.

Maxima qua par est reverentia salutat.....

Informationes ordinarie nonnisi de his tribus Patribus fiant, quia informationes non de omnibus missionariis alicuius Vicariatus vel Praefecturae desiderantur, sed de iis tantum, qui pro illo munere proponuntur. Si quis vero hac occasione utitur ad denigrandos confratres, seipsum indignum atque inhabilem ad tale officium bene obeundum probat.

Commissarius missionis praeter Ministrum generalem etiam Ministrum provincialem de morte Vicarii vel Praefecti Aplici monere debet, si missio alicui provinciae est commissa, ut etiam Definitorium talis provinciae tres candidatos Ministro generali ad normam n. 8, proponere possit.

17. « Provicario aut Propraefecto, qui deficiente Vicario « aut Praefecto regimen Missionis assumet (Can. 309), item Vi- « cario Delegato qui, ad instar Vicarii generalis, loci Ordinario « in administratione Missionis auxilio est (Act. Ap. Sed. 1 « April. 1920), specialis debetur reverentia, et quatenus ii vices « Ordinarii gerunt, eadem ac ipsi obedientia ».

18. « Vicarii Foranei in nostris Missionibus optantur *effec-*
« *tivi,* cum obligationibus et officiis huic muneri inhaerentibus
« (Can. 445-450). Oculi quasi sunt et aures Ordinarii loci saepe
« nimium distantis, eiusque in negotiis, praesertim suae cuius-
« que foraniae, adiutores et consiliarii. Quibus proinde con-
« fratres missionarii reverenter deferant, eos in difficultatibus
« consulant et a nimia independentia caventes, dociles sequan-
« tur eorundem consilia ».

Caput IV.

De Superiore Regulari Eiusque Consilio.

19. « Electio Superioris Regularis. — Omnes missionarii « regulares in iis quae pertinent ad vitam religiosam et disci- « plinam internam nostri Instituti, unice dependent a proprio « Superiore regulari » (Can. 296, § 2).

Textus huius n. 19 ad verbum transumptus est ex Instruct. S. Congreg. de Propaganda Fide, 1 Septem. 1881 (Collect. II, n. 1558, 2 pag. 156), et quoad sensum convenit cum can. 296 § 2 supra allegato.

Quia Commissario missionum commissa censetur « *potestas ad instar Provincialis* » (n. 24), ipse est *Superior major* (can. 488, 8°). Nam « In canonibus qui sequuntur, veniunt nomine: 8° Superiorum majorum..... aliique ad instar provincialium potestatem habentes » (can. 488).

Insuper haud dubitari potest, eundem esse « Officialem » Ordinis nostri. Nam 1° Commissarii potestas est eadem ac potestas Commissarii a Min. Gen.li instituti (Const. G.les n. 560), qui « eadem auctoritate et jurisdictione in conventus et fratres sibi subditos pollet ac Min. Prov.lis in sua provincia, nisi aliquos casus Min. G.lis sibi reservaverit ». (Ibidem n. 562).

2° Secretarii generales et provinciales, Consiliarii Commissariorum, Guardiani, Praesides, Vicarii locales sunt Officiales (ibidem n. 395). Sed hi omnes potestate aut multo minore aut nulla gaudent. Ergo a fortiori Commissarius missionis, qui auctoritate ad instar Provincialis in utroque foro pollet, debet esse Officialis. Ex quo sequitur, Commissarium debere omnibus qualitatibus ornatum esse, quas tum Codex J. C., tum Constitutiones Gen.les ab eo requirunt.

Nam can. 504 statuit: « Firmis propriis cuiusvis religionis constitutionibus, quae provectiorem aetatem aliaque potiora

requisita exigant, ad munus Superioris majoris inhabiles sunt qui 1) eandem religionem *professi non sunt a decem saltem annis* a prima professione computandis;

2) non sunt *ex legitimo matrimonio nati* (cf. Constitutiones Gen.les n. 431) et

3) non expleverunt... *annos triginta,* si agatur de aliis Superioribus majoribus ».

Item Can. 991, § 3: « Dispensatus (ab irregularitate vel impedimento) .... renuntiari nequit Superior major in religione clericali exempta » (cf. Const. Gen.les n. 432).

Ad normam Constit. Gen.lium n. 435 a Commissario missionum requiri videntur nonnisi aetatis triginta, et religionis decem anni.

20. « Ideo pro unaquaque Missione ad determinatam Pro« vinciam pertinente eligatur in Capitulo provinciali aliquis « missionarius in Commissarium seu Superiorem omnium Fra« trum in praefata Missione degentium, dummodo fere omnes « ad eandem provinciam pertineant, eique adiungantur saltem « duo Consiliarii in Capitulo instituendi. Quae electio a Mi« nistro generali est confirmanda » (1).

---

(1) In CC. GG. variae species officialium Ordinis nostri nomine Commissarii venint.

1. COMMISSARIUS GENERALIS vocatur, qui " plures provincias nomine et auctoritate Ministri generalis regit „ (n. 541).

2. COMMISSARIUS PROVINCIALIS vocatur *a)* " qui aliquam gubernat provinciam, cuius ordinarium regimen, graves ob causas, auctoritate Ministri generalis de consensu sui Definitorii, ad tempus suspenditur „ (n. 560);

b) " qui aliquos conventus ant residentias (gubernat), nondum in provinciam constitutos „ (n. 560), sed ab omni provincia independentes;

c) qui " pro aliquo commissariatu a provincia dependenti, a Ministro provinciali cum suo Definitorio electus et a Ministro generali confirmandus, illam tantum tantam auctoritatem et potestatem habebit, quae ipsi a Ministro provinciali cum suo Definitorio commissa furit „ (n. 564).

3. COMMISSARIUS SEU VISITATOR PRO TERTIO SAECULARI ORDINE vocatur, " qui sub omnimoda dependentia ipsius Ministri provincialis uniformi directioni congregationum tertii Ordinis in provincia invigilet „ (n. 697).

4. COMMISSARIUS TERRAE SANCTAE vocatur, qui " ad easdem (eleemosynas) procurandas colligendasque pro diversitate nationum a Ministro generali, de consensu sui Definitorii, ad... tempus instituitur „ (n. 675(.

5. COMMISSARIUS MISSIONIS Superior regularis omnium fratrum in aliqua missione degentium (n. 652).

De tempore, quo in Capitulo provinciali Commissarius missionis eiusque Consiliarii eligi debeant, in Constitutionibus generalibus nihil determinatum est. Commissarius missionis igitur post Definitores et, si quis est, post Commissarium pro aliquo commissariatu a provincia dependenti, (Constit. gles. n. 564) eligitur per ballotationem (Const. G.les n. 425, 491), non per schedulas; deinde post Praesides, Vicarios etc. eliguntur Consiliarii Commissarii pro missione (Const. g.les n. 494). Confirmatio electorum Commissarii et Consiliariorum missionis pertinet ad potestatem ordinariam Ministri generalis, absque Definitorii generalis interventu.

Unde Minister generalis hoc ius Praesidi capituli provincialis delegare valet, quod de facto ordinarie fit. A momento confirmationis sive per Ministrum generalem sive per eius delegatum peractae, officium novi Commissarii eiusque Consiliariorum incipit.

21. « In Missionibus nulli determinatae provinciae con-« creditis, aut ubi missionarii ultra septimam partem ad aliam « vel diversas pertinent provincias, Commissarius et Consiliarii « eligantur a Definitorio generali » .

Electio novi Commissarii a Definitorio generali facienda independenter ab omni Capitulo vel alio temporis termino fieri valet, dummodo omni triennio perficiatur.

22. « Vota Consultiva Missionariorum. — Pro Superioris « regularis electione, missionarii singuli tres Patres proponere « debent cum opportunis informationibus, sex mensibus ante « expletum dicti Superioris triennium. Proinde hic tempore « opportuno, missionarios monebit de proximo fine sui officii, ne « electio retardetur ».

Nomine « missionariorum », qui vota consultiva pro eligendo Commissario dare debent, intelliguntur, similiter ac supra n. 8 quoad computandum numerum missionariorum dictum est, omnes professi sacerdotes, clerici, laici, sive extranei sive indigenae, tali missioni adscripti.

« Rogantur Vicarius et Praefectus Apostolicus ut et ipsi « vota sua mittere dignentur.

« Quae vota consultiva directe mittantur Ministro provin-« ciali si electio a Capitulo provinciali fieri debet; secus Mini-« stro generali ».

« Rogantur Vicarius et Praefectus Apostolicus, ut et ipsi vota sua mittere dignentur ». Similiter ad dubium a PP. Societatis Jesu propositum, utrum P. Generalis eiusdem Societatis obligatus sit audire sententiam Ordinarii loci quoad electionem Superioris religiosi in missione, responsum datum est 21 Jan. 1895 (Collect. II, n. 1531, nota 1, p. 133): « Negative, et ad mentem: Mens est, quod conveniens sit, audire ex officio (officiosamente) sententiam Ordinarii loci relate ad nominationem Superioris religiosi ».

23. Professio fidei - Duratio officii. — « Commissarius « quamprimum post exceptum nuntium suae institutionis, pro-« fessionem fidei coram duobus saltem missionariis sibi subdi-« tis emittere debet. — Officium eius ad triennium perdurat; « quo tempore elapso, confirmari poterit ad alterum et tertium « triennium tantum ».

Hic numerus 23 fere ad verbum desumptus est ex Const. Gen. bus, n. 653, exceptis paucis verbis in initio positis. Citato loco in Const. Gen. bus legitur: « Commissarius *infra octiduum* (Stat. miss. « quamprimum ») professionem fidei.... ».

Ex jure communi can. 1406, § 1: « Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur: 9°. Coram Capitulo vel Superiore, qui eos nominavit eorumve delegato, Superiores in religionibus clericalibus ». Quoniam ex jure nostro particulari haec fidei professio « coram duobus saltem missionariis sibi subditis » emittenda est, tales missionarii tanquam *ex jure* a Capitulo Provinciali vel Superiore Generali delegati habentur.

Quoad durationem officii Commissarii, qui habet potestatem ad instar Provincialis (Stat. Miss. n. 24) et est Superior major (can. 198, § 1), determinat can. 505: « Superiores majores sint temporarii, nisi aliter ferant constitutiones ». Statuta nostra officii Commissarii durationem ad triennium limitant, admittunt autem, ut ad alterum et tertium triennium confirmari

possit. Pro quarto triennio necessaria est dispensatio a S. Sede i. e. a S. Congregatione religiosorum impertienda.

Cessat Commissarii officium ad normam can. 183, § 1: « Amittitur officium ecclesiasticum renuntiatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis praefiniti ».

Si quis Commissarius officio suo renuntiare libere vult, attendat canones sequentes:

1) « Quisque potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare, nisi speciali prohibitione renuntiatio sit ipsi interdicta » (can. 184) et « Superiores sine iusta et proportionata causa renuntiationes ne acceptent » (can. 189, § 1). Eiusmodi causa haberetur, ex. gr. si quis Commissarius infirmaretur, ita ut officium suum rite implere vix possit, vel si ad normam can. 309 regimen totius missionis accipere deberet et utrumque officium simul debite implere difficile sit.

2) « Renuntiatio, ut valida sit, fieri debet a renuntiante aut scripto aut oretenus coram duobus testibus aut etiam per procuratorem speciali mandato munitum » (can. 186). Sed apud nos Franciscanos renuntiationes semper in scriptis fieri debent CC. GG. n. 396: « Officiorum renuntiationes, quae nonnisi ex causa gravi et in scriptis fieri debent, acceptare ad respectivum pertinet Definitorium, quando agitur de officio per canonicam electionem collato. Causa autem semel admissa, eaque durante. resignantes ad ea ipsa munia assumi non possint ».

3) « Renuntiatio generatim, ut valeat, ei fieri debet, a que est acceptanda » (can. 187, § 1), i. e. apud nos semper Ministro generali, non vero Definitorio provinciae, a quo commissarius forsan electus est. Nam talis electio confirmatione per Ministrum generalem impertienda indiget; proinde applicari debet can. 187, § 2: « Quare, si officium per confirmationem, admissionem, institutionem collatum fuerit, renuntiatio fieri debet Superiori, ad quem de iure ordinario confirmatio, admissio vel institutio spectat ».

4) Can. 190, § 1: « Officium, renuntiatione rite facta et acceptata, vacat postquam renuntianti significata est accepta-

tio ». Can. 190, § 2: « Renuntians in officio permaneat, donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit ».

Minister generalis, accepta renuntiatione, aut ipse cum suo Definiterio (Stat. Miss. n. 21) statim novum Commissarium instituat, si missio nulli provinciae est accredita, aut, si missio certae provinciae attributa est, statim Definitorium eiusdem provinciae et de accepta Commissarii abdicatione et de novi Commissarii electione quantocius facienda moneat, nisi prudentius esse iudicet, ad interim alicui missionario, ex. gr. seniori Consiliario, regimen fratrum propria auctoritate delegare. De amissione officii Commissarii per privationem, amotionem, translationem nihil addendum esse videtur, cum Superior privationem vel amotionem vel translationem decernens ordinarie statim officio vacanti providet. Si vero officium Commissarii vacare acciderit, quin Superior eidem officio providerit, applicandus est num. 31, a linea 5. Stat. Miss.: « Eveniente, quacumque ex causa, officii Commissarii vacatione, antiquior in missione Consiliarius officium assumat et Ministrum generalem statim moneat, et, si missio alicui provinciae est concredita, etiam Ministrum provincialem, ut definitive fratrum regimini provideatum ». Eiusmodi casus accidere potest, ex. gr. si privationis, amotionis, translationis documentum quidem in Commissarii manus pervenerit, sed litterae, quibus fratrum regimini providetur, quamcumque ob causam aut datae non sint aut in via ad missionem perditae fuerint aut nondum advenerint; vel si, Superiore nesciente, officium Commissarii vacet ob tacitam renuntiationem ipso iure admissam (can. 188), vel ob privationem ipso iure contractam vel demum ob Commissarii inhabilitatem (v. c. amentiam) supervenientem vel etiam mortem.

Remanet breve verbum dicendum de amissione officii Commissarii « lapsu temporis praefiniti » (can. 183). Quod tempus praefinitur n. 23: « Officium eius (Commissarii) ad triennium perdurat ». Ad normam Constit. g.lium n. 404, qui tractat de duratione officiorum in Ordine nostro, « triennium intelligitur de Capitulo in Capitulum ».

Itaque officium et potestas prioris Commissarii ipso iure exspirat eo die, quo Minister generalis sive per se sive per suum delegatum in capitulo provinciali novum Commissarium confirmat. Quis vero missionarios religiosos legitime regit durante illo tempore, quod inter diem confirmationis et diem adventus litterarum, quibus confirmatio novo Superiori religioso communicatur, decurrit? Quod tempus ob distantiam vel difficultates viarum ad plures menses vel integrum annum protrahi potest. Quid, si eaedem confirmationis litterae in via pereant vel amittantur? Quia nec ius commune nec ius particulare (sc. Constit. g.les et Stat. Miss.) aliquid hac in re determinant, tenenda esse videtur regula, quam et recta ratio et praxis prorsus universalis praescribunt, quam regulam can. 311 pro simili casu vacantiae Vicariatuum vel Praefecturarum his verbis exprimit: «Qui vicariatui vel praefecturae ap.licae ad certum tempus praepositus est, debet in regimine cum omnibus facultatibus sibi concessis permanere, licet definitum tempus fuerit praeterlapsum, donec successor canonicam sui muneris possessionem ceperit». Similiter itaque Superior regularis in officio suo permaneat, usque dum successor eidem litteras patentales nominationis ostenderit vel alio modo probaverit, se tales litteras a Ministro generali recepisse.

24. «Commissarii Auctoritas et Potestas ea est quae «ipsi commissa fuerit (Const. gen. 654). At nisi de contrario «constet, ipsi commissa censetur potestas ad instar Provin- «cialis, cum omnibus facultatibus quas iuxta Constitutiones «Ordinis et Decreta apostolica habet Provincialis in sua pro- «vincia, excepta admissione ad Ordinem, ad professionem et «ad Ordinationes. Nullus frater in Missione illa degens ab eius «iurisdictione exemptus est, sed omnes in omnibus ei subesse «debent quae respiciunt regularem observantiam et vitam «religiosam».

Sicut munus Vicarii et Praefecti Ap.lici pertinet ad statum Ecclesiae transeuntem, i. e. ad missionis statum, qui brevi aut tarde, secundum Vicarii Christi iudicium, in hierarchiam ordinariam mutandus est, similiter etiam munus Commissarii

seu Superioris religiosi in missione ad statum transeuntem organizationis Ordinis nostri refertur, qui status suo tempore a Definitorio generali determinando, in Commissariatus provinciales vel in Provincias erit commutandus. Proinde, similiter ac Vicariorum ac Praefectorum Aplicorum potestas est quidem ordinaria, licet vicaria, ad libitum tamen SS.mi Pontificis minui (« nisi quid Aplica Sedes reservaverit », can. 294 § 1) vel etiam augeri potest, (sicut de facto per specialium facultatum formulas haud parum augetur), — ita et potestas Commissario missionis concedenda magna ex parte relinquitur arbitrio Ministri generalis, cuius est eidem Commissario « illam auctoritatem et potestatem committere, quae ipsi visa fuerit committenda » (Stat. Miss. n. 4 b. Constit. gles. N. 654).

Sacri canones (can. 296 sq.) et decreta S. Sedis aliquoties decernunt, quid Superior religiosus in missione valeat, quin curet, utrum haec auctoritas religiosa exerceatur sive per ipsum Ministrum generalem sive per Provincialem sive per eorum delegatum sive per specialem Ordinis Superiorem super missionarios aut habitualiter aut ad tempus constitutum. Unde his ex fontibus de Commissarii nostri officio qua tali nihil directe cognoscimus; indirecte quidem, sc. postquam scivimus ab Ordine nostro auctoritatem religiosam officiali, qui Commissarius vocatur, attributam esse, jure concludimus, eidem Commissario omnia illa jura competere, quae sive jus commune sive specialia S. Congregationis de Prop. Fide decreta Superiori religioso in missione concedunt.

Etiam Const. G.les (n. 653-663) quaedam de electione Commissarii missionis necnon de aliquibus ejusdem officiis generatim et summatim statuunt, minime vero ejus officium juridice determinant, immo totum potestatis commissarialis ambitum arbitrio Ministri generalis determinandum relinquunt (n. 654).

Unde praecipuus, ne dicam unicus, fons, ex quo officium Commissarii missionis determinari potest, sunt nostra Statuta Missionum. Quae Statuta Commissarii officium describunt, ut sequitur « Nisi de contrario constet, ipsi (Commissario) commissa censetur potestas ad instar Provincialis, cum omnibus

facultatibus quas juxta Constitutiones Ordinis et Decreta Ap.lica habet Provincialis in sua provincia, excepta admissione ad Ordinem, ad professionem, ad Ordinationes » (n. 24). Quae immediate sequitur circumscriptio potestatis commissarialis, in omnibus sequitur descriptionem potestatis Ministri provincialis in Const. generalibus n. 518 datam, iis tantum mutatis, quae pro diversis missionum condicionibus mutanda sunt.

Exinde sequitur, Commissarium missionis esse *Superiorem majorem et ordinarium*. Nam can. 488 statuit: « In canonibus, qui sequuntur, veniunt nomine: 8. *Superiorum majorum*.... alii ad instar provincialium potestatem habentes », et can. 198 § 1 decernit: « In jure nomine Ordinarii intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur..., pro suis vero subditis Superiores majores in religionibus clericalibus exemptis ». Unde Commissario missionis applicandi sunt omnes canones, qui de Superiore religioso in genere et in specie de Superiore majore, necnon de Ordinario agunt.

Nimis longum esset, omnes canones huc pertinentes ex Codice J. C. colligere. Seligimus tantum aliquos canones, qui majoris momenti esse videntur.

1. Ex Codicis J. C. libro II p. II De Religiosis: Can. 501, § 1 « Superiores... ad normam constitutionum et juris communis.... in religione clericali exempta habent jurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno quam pro foro externo ».

Proinde pro foro interno « ordinaria jurisdictione ad confessiones audiendas.... gaudent.... Superiores religiosi exempti pro suis subditis, ad normam constitutionum (can. 873, § 2) et « in religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve, de quibus in can. 514, § 1, jurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorundem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est, eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut aliis religiosis » (cap. 875, § 1).

Pro foro externo: « Qui pollent potestate... praecepta imponendi, possunt quoque.... praecepto poenas adnectere » (can. 2220, § 1). Poenae ecclesiasticae vero sunt: 1 medicinales

seu censurae; 2. vindicativae; 3. remedia poenalia et poenitentiae (can. 2216); cfr. CC. GG. n. 354 sqq. et praesertim n. 360.

Can. 501, § 2; « Superioribus quibuslibet districte prohibetur, quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant ». Vocantur etiam causae fidei, quae spectant ad S. Officium privative, i. e. exclusis Praelatis propriis. Tales sunt: Suspicio haeresis, fractio sigilli sacramentalis, sollicitatio ad turpia. — Quicumque Religiosi, qui confratrem vel Superiorem vel subditum in praefatis (praesertim quoad abusum sacramenti Confessionis) reum vel suspectum noverint, strictim tenentur, absque ulla cum aliis communicatione, nulla petita venia, nullaque fraterna correptione aut monitione praemissa, eos S. Officio aut locorum Ordinariis incunctanter denuntiare, quin Superiores ullo modo (nisi de expresso S. Congregationis mandato) sese immiscere possint — Decret. S. Officii, 1901 (P. Bertrand Kurtscheid, Praelectiones juris Regularium, pag. 208-209).

Can. 503: « Superiores majores in religionibus clericalibus exemptis possunt notarios constituere, sed tantum pro negotiis ecclesiasticis suae religionis ».

Can. 1579, § 1: « Si controversia sit inter religiosos exemptos ejusdem religionis clericalis, judex primae instantiae, nisi aliud in constitutionibus caveatur, est Superior provincialis », ad faciendum judicium tam contentiosum quam criminale. Quia vero Commissario missionis omnes facultates (exceptis tribus) competunt, quas Provincialis in sua provincia habet, Commissario eadem judicandi potestas convenit.

Can. 509, § 1: « Omnis Superior debet notitiam et executionem decretorum S. Sedis, quae religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere ».

Quia Commissariis missionum (Stat. Miss. n. 24) negatur ius admittendi ad Ordinem, professionem, sacros ordines, standum est instructionibus et facultatibus sive pro casu particulari, sive generaliter, a Ministro generali hac in re editis. Ad eumdem Ministrum generalem item mittenda sunt, quae pertinent ad transitum ad aliam religionem et ad dimissionem religiosorum ab Ordine.

Insuper, ex Codicis J. C. aliis partibus, in memoriam revocare liceat: can. 15, 47, 51, 78, 81; invitatio ad concilium provinciale, 286, § 4; ad Synodum dioecesanam, 358; praesentatio et remotio parochi religiosi, 454, § 5; oeconomi paroeciae, 472, 1°; vicarii cooperatoris, 476, § 4; rectoris ecclesiae, 480, § 2 et 486.

Item P. Commissario competit ius benedicendi locum sacrum (can. 1156), benedicendi et imponendi primarium ecclesiae lapidem (can. 1163 cum can. 1156), benedicendi campanas (can. 1169, § 5), reconciliandi ecclesiam consecratam (can. 1176 cum can. 1156), concedendi licentiam, ut oratorium semipublicum erigatur (can. 1192), dummodo praedicta loca vel obiecta sub eius iurisdictione sint.

Praeterea Commissarios teneri ad observantiam Constitutionum generalium et ad earum observantiam urgendam quoad omnes subditos suos, in quantum respiciunt missiones et missionarios, omnino patet. Meminerint praesertim CC. GG. n. 294: «Omnes tum subditi tum superiores, quorum exemplo maxime regitur atque stat regularis observantia, in victu, vestitu ac ceteris ad vitae usum pertinentibus communiter (i. e. saltem in communi dependentia a Superiore religioso et in aequali conformitate cum Decretis S. Sedis, Constitutionum generalium et Statutorum pro Missionibus) vivant nec ulla differentia inter fratres sit vel unus aliis praeferatur, nisi prout probatae necessitatis fraternaeque charitatis ratio suaserit».

Commissariorum officium praecipuum vero est, Statutorum pro missionibus nostris conditorum observantiae invigilare, secundum n. 98 a linea 2: «Superiores igitur Missionarios suos exemplo praeeant, et seposito omni respectu humano, horum observantiam Statutorum stricte urgeant, negligentes moneant et corrigant, et emendatione non secuta, punire aut ad Superiores maiores deferre non vereantur».

Stat. Miss. n. 24 de sola auctoritate Commissarii, non vero de honoribus eidem debitis tractat. Ex eo autem, quod Commissario missionis potestas ad instar Provincialis competit, minime sequitur, eidem omnes illos honores attribuendos esse, quos

CC. GG. vel Caeremoniale Ordinis vel legitimae consuetudines veris Provincialibus vel Commissariis provincialibus addicunt. Sicut Commissarius, qui commissariatum a provincia dependentem regit (CC. GG. n. 564), honoribus Ministrorum Provincialium minime fruitur, ita neque Commissarius, qui missionem a Ministro generali dependentem gubernat, illis insignibus participat. Uterque Commissarius non repraesentat personam moralem nec ordinationes pro suis subditis condere valet. Insuper officium Commissarii missionis a paucis abhinc annis creatum est; eidem itaque honores antiquis Ordinis officiis concessi per se non conveniunt, nisi per specialem auctoritatis competentis actum ad illud quoque munus extendentur. Unde concludimus, Commissario missionis, praeter praecedentiam in Stat. Miss. n. 71 determinatam, non competere nisi illos honores, qui eidem qua Superiori maiori sive particulari sive communi iure convenire dignoscuntur.

« Honorificentias quibus semper usi sunt Minister generalis in toto Ordine, Provinciales in suis provinciis, et Custodes Gubernii in suis Custodiis (qui in novo Caeremoniali Rom.-Seraph. ad Claras Aquas, 1927, n. 321 p. 216, hodiernis Commissariis Provincialibus [CC. GG. n. 560] merito aequiparantur) adhibendi in Missis sollemnibus Palmatoriam (= candela manu tenenda s. bugia), Bacile cum Buccali ad *Lavabo;* itemque in celebratione Missae privatae... utendi quatuor candelis ardentibus in altari, Palmatoria, duobus Clericis et sacerdote... qui assistat », Commissario missionis negandas esse censemus, quia S. R. C. 28 iul. 1864 (De Carpo, Caeremoniale, Romae, 1894, p. 681-682) easdem solis Praelatis maioribus supra nominatis concessit vel potius iam dudum concessas confirmavit.

Consequenter dicimus Commissario missionis in missa privata et sollemni non licere, remotis ab altari tabellis Secretarum, adhibere Canonem Pontificalem cum oratione *Aufer a nobis* (Caeremoniale, 1927, p. 162), in missa sollemni in latere Evangelii ponere suppedaneum tapete coopertum (ibidem n. 405, p. 275), pro sollemni receptione illas caeremonias exigere, quae tali in occasione Ministro generali ac provinciali conveniunt (ib. n. 701, p. 463).

25. « Quaenam inter Ordinarium loci et Superiorem regu-« larem intercedat mutua relatio, pro nonnullis casibus deter-« minatur in C. J. C. Can. 296, § 2, 297, 298, 307, 454 § 5, 456, « 630, 631. Cfr. supra n. 14, 15. De cetero, salvis propriis cu-« iusque officiis et iuribus (et haec eadem prorsus distinguuntur « ac inter Provincialem et Ordinarium loci), missionariorum bo-« num postulat ut Superior regularis et Superior ecclesiasticus « unanimes sint in Missionum utilitate, collatis viribus consi-« liisque, procuranda: quod quidem enixe commendatum volu-« mus. Ideo Superior regularis ex parte sua maximi semper fa-« ciat desideria et vota Superioris ecclesiastici, ipsi morem ge-« rat, libenter acquiescat, totisque viribus intentionibus eius in « Missionis regimine obsecundet.

« Ubi vero manifesta utilitas Fratrum aut necessitas disci-« plinae regularis aliud suadeant, id reverenter et simpliciter « Superiori ecclesiastico proponat et explicet antequam agat. « Ubi de re maioris momenti agitur, Superioribus Ordinis ge-« neralibus aut provincialibus negotium aperiat, eorumque de-« cisiones exspectet.

« Ceterum summopere optandum ut Vicarius et Praefectus « Apost., attentis particularibus suae Missionis circumstantiis, « pro sua prudentia et salvis suis iuribus, consilio et opera Su-« perioris regularis utantur: ut ita intimior evadat utriusque « collaboratio et facilior negotiorum expeditio ».

Quoad canones hic citatos haec notentur: De can. 296 § 2 jam supra locuti sumus. In can. 297 Ordinario loci adscribitur jus cogendi religiosos etiam exemptos ad animarum curam exercendam, dummodo tres adsint conditiones ad validitatem actus requisitae, et una liceitatis condicio verificetur:

1. *Si deficit clerus saecularis.* Ordo enim. qui missionis curam acceptat, se obligat ad mittendos missionarios sufficientes. Quando itaque clerus saecularis non sufficit secundum Ordinarii loci iudicium, idem loci Ordinarius potest religiosos ad satisfaciendam obligationem suam cogere.

2. *Si sunt vicariatui vel praefecturae addicti,* i. e. si ad propagationem fidei sub directione Ordinarii faciendam in illud

territorium missi sunt et missionis eleemosynis sustentatur, ut patet ex fontibus allegatis: S. C. de Prop. F. 22 Mart. 1669, ad 7 (Collect. 1 n. 178, p. 57) et Clemens IX const. Speculatores, 13 sept. 1669 (Collect. 1 n. 186, p. 61) in qua legitur: « Porro dicti Regulares, in defectu sacerdotum saecularium, non solum titulo caritatis, sed *etiam justitiae* curam animarum teneantur exercere, et quatenus id facere recusent, a Vicariis Apostolicis ad tale munus obeundum cogi possint ». Tales enim missionarii eleemosynas a benefactoribus ea lege accipiunt, ut curam animarum in missione exerceant. Insuper missionarii nostri officium curae animarum in missione exercendae libere acceperunt; unde etiam vi officii ad hoc tenentur.

3. *Salvis pariter peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis.* Sic Ordines contemplativi (Trappistae etc.) cum permissione S. Sedis in missionum territoriis monasteria fundant et ad eorum finem etiam eleemosynas colligunt, minime ad animarum curam obeundam, sed principaliter ad propriam sanctificationem procurandam. Tales religiosos igitur Ordinarius loci ad curam animarum gerendam cogere non valet.

Ad licéitatem demum requiritur, ut Superior regularis prius audiatur, quin tamen eius consensus sit necessarius (Vromant, Jus missionariorum, tom. II, de personis, Lovanii 1929, n. 112, 2, p. 105).

Can. 298 Vicario vel Praefecto Apostolico dat potestatem dirimendi varia missionariorum dissidia, quae ad animarum curam pertinent, non vero illa quae ex. gr. sunt res mere religiosae vel saeculares vel scientificae.

Can. 307 statuit, Ordinarium posse quidem e missione removere in casu publici scandali, missionarium etiam religiosum « praemonito, quantum fieri potest, Superiore ».

Can. 454 § 5, 456, 630, 631 de praesentatione, institutione, remotione parochi regularis atque de iurisdictione super eundem agunt.

Commissarium missionis leges condere non valet, sed tantum mandata dare potest, quae vero, cessante officio commissarii, qui ea praecepit, eo ipso expirant, salvo canone 24: « Prae-

cepta singulis data eos quibus dantur, ubique urgent, sed iudicialiter urgeri nequeunt et cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint ». Sed « poena reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur » Can. 2226 § 4. Quoniam Commissarius missionis est vere Ordinarius, seu quia eius iurisdictio est quasi episcopalis, est etiam praelatus.

Notetur denum, per verba: « De cetero, salvis propriis... » maximan similitudinem, ne dicam aequitatem, inter ius missionarium nostrum et ius commune statui, eo quod relatio officiorum et iurium tam Vicarii vel Praefecti Aplici quam Commissari eadem esse dicitur ac illa quae in dioecesibus viget inter Ordinarium loci et Ministrum provincialem.

Quae de concordia inter Ordinarium loci et Commissarium missionis dicuntur per se sat clara sunt. Ad eamdem rem autem notamus nihil omnino obstare, quin Vicarius vel Praefectus Aplicus P. Commissarium in suum delegatum Generalem assumat; immo hoc et provinciae, cui missio est concredita, maximo honori et novo stimulo ferventioris cooperationis erit, necnon fiduciam atque concordiam inter ipsum loci Ordinarium et missionarios suos non parum augebit.

26. Commissarii obligationes et munia. — « Haec tam salutaris auctoritas regularis nequaquam sit titulus vacuus et « nomen sine re; sed vitale quoddam principium quod, cordis « instar, motum simul et calorem toti communicet corpori.

« Ante omnia inter missionarios, qui cuncta generose pro « Christo reliquerunt et pro lucro animarum a patria longe « exulantur, amantissimi Patris partes agat. De bono corpo- « rali simul et spirituali filiorum suorum maxime sollicitus, « maternis visceribus eorum necessitatibus satagat occurrere, « laborantibus animum addere, doloribus compati. Quantum per « facultates licuerit, ita omnibus providere curet, ut neque su- « perflua permittantur neque necessaria denegentur. Quinimo « eumdem hortamur ut, humanae infirmitati compatiens, fra- « tres suos interdum moneat ut sibi proprias necessitates ape- « rire velint ».

Institutio officii Commissarii, quod usque ante paucos annos in compluribus Ordinis nostri missionibus non erat in usu, ut plenum effectum suum producat, et S. Sedes et Ordo noster valde exoptant, immo serio exposcunt. Quoad alteram huius n. 26 partem cfr. CC. GG., n. 292 seqq. « de communis vitae ratione et rerum usu », speciatim n. 295: « Meminerint Regulae nostrae professores, de rebus sibi ad usum necessariis, non per alios quam per Superiores, (in missione cum Superioris licentia saltem generali) providendum esse; hisce enim de huiusmodi necessitatibus, pro locorum, temporum et personarum conditionibus, iudicium est commissum Itaque eisdem (Superioribus) subditi ultro aperiant necessitates suas, et per modos Regulae consentaneos congruam provisionem humiliter et patienter exspectent ». Mens huius statuti, congrua congruis referendo, etiam in missione observari potest ac debet.

27. Annua visitatio. — « Singulis annis, quantum fieri po« test, suos subditos eorumque residentias et stationes *visitet*, « ut praesens eorum vitam et necessitates cognoscere queat. « Prudenter investigare curet de eorum fidelitate in adimplen« dis exercitiis spiritualibus, de oratione praesertim mentali « quotidiana, de perfecta votorum observantia, de prudentia et « circumspectione in agendo cum saecularibus, maxime cum « mulieribus, de nitore sanctuarii et rubricarum observantia. « de zelo in procuranda salute fidelium et conversione infide« lium, de eorum docilitate in servandis sive legibus Ecclesiae « aut Ordinis sive Superiorum praeceptis.

« Libros computationis de re oeconomica Ordinis inspiciat « et ut accurate conficiantur diligenter invigilet.

« Praescriptiones ceterum non multiplicet, nec sarcina ob« servationum missionarios oneret. Attamen in exigendo ea quae « necessaria sunt, ut sanctificationem propriam et salutem ani« marum operentur, nullatenus debilem aut remissum se exhi« beat; falsam libertatem in opinando aut agendo retundat et « salutari disciplinae iugo religiosos assuetos teneat.

« Si aliquid reprehensibile invenerit, benigne, cum caritate « et sine respectu humano corrigat, ita tamen ut fiducia et re-

« verentia populorum erga missionarios nullum patiatur detri-
« mentum.

« Si aliquid maioris momenti ordinari vel determinari con-
« tingat, diligenter adnotari curet in aliquo regesto, quod per-
« petuo in archivo servetur. Si vero alicuius religiosi culpas et
« punitiones notari occurrat, id in particulari regesto fiat et,
« religioso e vivis sublato, adnotata destruantur.

« Si plura sunt loca aut nimium distantia quam quae sin-
« gula visitare queat, illos saltem districtus obire conetur, quos
« Vicarius aut Praefectus Ajostolicus illo anno non visitabit ».

Praeter illa quae hoc in numero 27 de visitatione per commissarium peragenda dicuntur in memoriam revocare licet cn. 511 et 513, necnon Constit. gles, n. 605 sqq. ubi multa ad finem visitationis utilia et necessaria indicantur, quamvis, ut patet, in missionibus non omnia ibi praescripta observari possint.

Sciat insuper P. Commissarius, Ordinem nostrum in genere quidem obligationem *ex iustitia* implendam suscepisse, sufficienter providendi per missionarios curae animarum in missionibus Ordini nostro commissis, singulos missionarios autem nonnisi *ex caritate et oboedientia* ad curam animarum exercendam adstringi, sicut dilucide P. G. Vromant (Jus missionariorum, tom. II, de personis, Lovanii, 1929, n. 113, p. 105-107) cum P. Vermeersch (Periodica IX, p. 20-21) et P. Grentrup (Jus missionarium, Steyl, 1926, p. 90-01) dilucide demonstrant. Ex sensu et mandato Ministri nostri generalis igitur Superior regularis missionarios sibi subditos semper, praesertim visitationis tempore, monere necnon cogere debet, ut hoc gravissimum officium ab omnibus subditis suis religiose impleatur.

Quoad religiosorum culpas et poenas in archivi regestis conservandas , sensus Ecclesiae can. 379, § 1 manifestatur: « Habeant praeterea Episcopi aliud archivum secretum vel saltem in communi archivo armarium seu scrinium omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat. In eo scripturae secreto servandae cautissime custodiantur, sed singulis annis quam primum comburantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint vel quae

a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae ».

28. « Particularem curam gerat Superior erga subditos de- « biles et infirmos: si graviter aegrotent, curet ut tempore op- « portuno Sacramenta recipiant. Post mortem alicuius, de se- « pultura facienda curet et res ad eius usum particularem per- « tinentes colligat; rerum autem quae ad Vicariatum aut Prae- « fecturam pertinent, inventarium faciat et ad Vicarium aut « Praefectum Apost. mittat. »

Secundum praeceptum caritatis et Regulae servitium infirmorum confratrum omni franciscano, praeprimis Superiori, maxima cura esse debet. Cfr. CC. GG. n. 338-345.

29. Annua relatio. — « Quotannis, mense Octobri, Com- « missarius Ministro generali (et insuper Provinciali, si Missio « ad determinatam provinciam pertineat) accuratam relationem « de statu disciplinari Missionis fideliter transmittat. Quae re- « latio indicet singulorum missionariorum nomen, residentiam, « officia, valetudinem et modum se gerendi tum qua religiosos, « tum qua missionarios; nomina quoque eorum qui ab ultima « relatione in Missiones venerunt, aut inde abierunt aut de- « functi sunt. Specialis mentio fiat de iis qui infirmitate labo- « rant, qui minus digne ambulant, necnon de iis qui, ratione « zeli, capacitatis et prudentiae, peculiari laude digni sunt. « Referat praeterea de exercitiis spiritualibus a singulis per- « actis, de observantia votorum et fraternae caritatis, de rela- « tione religiosos inter et clerum saecularem vel indigenam, de « fama qua gaudent religiosi nostri apud saeculares, et an in « Missione habeantur difficultates speciales. Indicet tandem sta- « tum oeconomicum dati, accepti et residui.

« Relatio haec a Superiore et saltem uno Consiliario sub- « scribatur et sigillo Commissarii muniatur.

« Insuper Superior regularis quotannis de singulorum Mis- « sionariorum modo sese gerendi referat ad respectivos Provin- « ciales ».

Haec relatio annualis secundum instructionem a Ministro Generali sub 10 Febr. 1926 editam, (Acta Ordinis, 1927 p. 77),

ut recte fiat, duplicem partem in posterum contineat, quarum prior, in lingua latina, de statu personali etc..... ex officio tractet... prout in eodem n. 29 statutorum indicatur. Altera pars (et quominus haec in lingua vulgari digeratur aut ab alio missionario idoneo, sub directione tamen Superioris regularis conscribatur, nihil est quod obstat) de actuositate missionaria... talia perstringat, quae sive pro historia missionis sunt utilia, sive pios fideles et missionum benefactores aedificare poterunt,... quaeque dein in commentario Acta Ordinis aut in periodicis missionariis nostris aut etiam exteris publicari queant ». Eadem instructio multa alia notatu digna missionariis praebet.

De iuniorum missionariorum examine linguistico referatur, quod ad normam n. 48 subire tenentur.

« Relatio haec (i. e. si in duas partes, ut supra, dividitur, pars officialis seu ex officio facta huius relationis) a Superiore et saltem ab uno Consiliario subscribatur ». Qui nomen suum alicui documento subscribit, veritatem eorum, quae in eodem documento dicuntur, sua fide et auctoritate personali confirmat. Unde Consiliarius, qui relationem sive ex toto sive ex parte falsam esse cognoscit, aut de eius veritate dubitat, subscriptionem suam omnino negare vel saltem ad illas partes, quas veras esse cognoscit, expresse restringere debet.

« Insuper Superior regularis... referat ad respectivos Provinciales ». Haec relatio de singulis missionariis obiective, de rebus notatu vere dignis, « faciendo veritatem in caritate » fieri debet, etiamsi ex aliqua provincia unus tantum missionarius sit. Hac occasione Commissarius omnibus Provincialibus, quibus missio concredita est, utiliter communicat etiam relationem de fructibus spiritualibus atque de iis, quae ab unaquaque provincia accepit. Ita enim zelus provinciarum stimulatur ostendendo, qualem cooperationem quaevis provincia tam mittendo missionarios quam eleemosynas colligendo communi missioni praestiterit.

30. « Conspectum quoque annuum status animarum et fruc-
« tuum spiritualium in Missione perceptorum (iuxta consuetam
« formulam), nisi a Superiore ecclesiastico id fieri sciat, ipse

« Superior regularis Ministro generali communicare curet ».

Fructus laborum apostolicorum seu in cura animarum perceptorum cognoscere debet Minister generalis, utpote qui de progressu vel regressu missionum Ordini commissarum, coram S. Congregatione de Prop. Fide respondere debet. Quando igitur Superior ecclesiasticus illorum fructuum conspectum Ministro generali non iam transmiserit, (cfr. supra n. 13), Superior regularis hoc facere debet.

31. De Consiliariis. — « Superiori regulari duo saltem « adiungantur Consiliarii. Pro eorum designatione singuli mis- « sionarii votum consultivum mittant ad Ministrum generalem « vel provincialem respective, simul cum votis pro Commissario, « cum quo in officio ad triennium perdurant. Triennio absoluto, « possunt in officio confirmari.

« Commissarius pro gravioribus negotiis, Patrum Consilia- « riorum sententiam oretenus aut per litteras exquirere tenetur « et sequi, praesertim quoad delinquentium externam graviorem « punitionem, novorum onerum acceptationem etc.

« Semel saltem in anno Superior insimul convocare debet « suos Consiliarios, tractaturus de negotiis Missionis, et illis « rationem reddere de Missarum oneribus impletis et implendis, « et de omnibus acceptis et expensis. Haec omnia a Consiliariis « revisa et approbata propriaque manu subsignata in archivo « serventur.

« Si aliquando e Missione egredi debeat Superior, unum e « Consiliariis Delegatum instituat, qui eius vices gerat; talis « vero Delegatus tempore sui regiminis innovationes facere non « potest.

« Eveniente, quacumque ex causa, officii Commissarii va- « catione, antiquior in Missione Consiliarius officium assumat « et Ministrum generalem statim moneat et, si Missio alicui « Provinciae est concredita, etiam Ministrum provincialem, ut « definitive Fratrum regimini provideatur; mutationes vero « notabiles non faciat.

« Mortuo aliquo Consiliario vel ab officio cessante, anti- « quior inter missionarios Ordinis suppleat locum eius, usque-

« dum Minister generalis aliter disponat. Antiquitas semper « computatur a tempore admissionis in Missione ».

Conformiter cum can. 516 § 1 ... « Superior provincialis ... habeat suos consiliarios, quorum consensum aut consilium exquirat ad normam constitutionum et s. canonum », etiam Commissario missionum, cuius officium est ad instar Provincialis, duo saltem Consiliarii adiunguntur.

Vota consultiva pro Consiliariorum electione dare possunt, sicut supra ad n. 22 pro Superioris regularis electione iam explicatum est, non solum sacerdotes professi, sed etiam omnes fratres clerici et laici sollemniter professi eidemque missioni adscripti. Dubitari vix potest, quin Consiliarii sint « officiales » Ordinis, quamvis in CC. GG. n. 395 non enumerentur. Eorum enim officium assimilatur officio Definitorum in provinciis vel saltem Consiliariorum in Commissariatibus. Quod si verum est, inhabilis erit censendus, qui notabili infamia alicuius criminis, contra castitatem praesertim, convictus fuerit ». (Constit. g.les. n. 433), sed nulla aetas annorum sive a nativitate sive a prima professione computandorum requiritur. De duratione officii Consiliariorum idem dicendum est, uno excepto, quod sc. semper, sine ulla temporis restrictione, in officio suo iterum confirmari possunt.

Confirmatio novi electi Consiliarii in suo officio ab uno Ministro generali danda est, quia est officium in territorio unice a Ministro generali quoad (directionem) gubernationem religiosam dependenti.

« Commissarius .... Consiliariorum sententiam .... exquirere tenetur et sequi ». Dummodo nonnisi duo Consiliarii habeantur, Commissarius missionis, uno Consiliario assentiente, altero vero dissentiente, liber manet, i. e. ad libitum alterutrius sententiam sequi valet; si vero duo Consiliarii consentiunt, Commissarius eosdem sequi tenetur.

Cum potestas Commissarii sit ad instar Provincialis et consilium eius sit ad instar Definitorii provincialis, applicandi, sunt etiam CC. GG. numeri 502 - 506. Definitorio (Consilio) congregato fas est ordinationes et usus provinciae (missionis)

authentice interpretari et sententias in causis contentiosis ferre. Potest etiam decreta condere, quae tamen vim obligandi solummodo usque ad proximum Capitulum (Institutionem novi Commissarii per Ministrum Gen.lem faciendm) habebunt.

« Super sententiis a Definitorio (Consilio) latis neque Minister Provincialis (Commissarius Missionis) neque Visitator Generalis dispensare possunt absque consensu majoris partis Patrum Definitorum (Consiliariorum) ».

« Quoad modum negotia tractandi, discussiones instituendi votaque exprimendi, serventur normae pro Definitorio Gen.li nn. 473 et 474 datae ».

n. 473: « Causae ad forum contentiosum spectantes aliaque negotia ardua in eodem Congressu Definitoriali non proponantur simul et decidantur: sed, facta opportuna discussione, decisio vel sententia ad aliam sessionem differatur ».

n. 474: « In omni Congressu prior sententiam dicere et, peracta communi discussione, votum exprimere debet, qui posterior loco est. In omnibus autem definitionibus sententia plurium praevaleat et minor pars subscribere debet sententiae majoris partis ».

Quaenam sunt *graviora* negotia in quorum tractatione Commissarius consiliariorum sententiam exquirere debet?

In ipso textu enumerantur duo:

1) delinquentium externa graviorque punitio, quae extra iudicium infligitur;

2) novorum onerum acceptatio.

Quae onera esse possunt v. c. cura spiritualis alicuius hospitalis vel instituti, praesertim communitatis religiosae, fundatio cuiuslibet scholae, directio alicuius piae unionis, praeprimis onera et debita pecuniaria.

Pro norma ad prudenter et licite contrahenda onera pecuniaria CC. GG. n. 303, cfr. (can. 534 et 1532) optime inservire potest:

a) Regula *generalis*: numquam contrahantur debita onerosa vel obligationes, quae ex consuetis eleemosynis intra breve tempus solvi non possunt.

b) Regulae *speciales*: 1. debita et obligationes ultra 30.000 francorum aureorum seu libellarum valide contrahi non possunt absque beneplacito Apostolico, cuius petitioni consensus definitorii tum generalis tum provincialis praecedere debet.

2. Ad contrahenda debita ultra 10.000 francorum aureorum sed infra 30.000, requiritur et sufficit licentia Ministri generalis, in scriptis danda cum consensu Definitorii.

3. Ad contrahenda debita infra 10.000 francorum aureorum requiritur et sufficit licentia Ministri provincialis, in scriptis danda et cum consensu sui Definitorii. Unde in hoc casu consensus Commissarii cum Consiliariis suis iuridice sufficere videtur. In *praxi* autem Commissarius videat, utrum talem pecuniae summam certe habere possit, et propterea numquam sine consensu provinciae vel provinciarum, quibus missio concredita est, tale debitum contrahere audeat.

« In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis ad eum diem gravatur, secus obtenta venia invalida est » (can. 534 §2).

Quoniam communitas Fratrum in aliqua missione sub P. Commissario viventium neque « ex ipso iuris praescripto neque ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum » in personam moralem erigitur, idem Commissarius neque solus neque insimul cum consiliariis suis aliquam personam moralem repraesentat. Ex quo sequitur, Commissarium etiam cum Consiliariis suis quaecunque onera totam Fratrum communitatem aggravantia *per se* contrahere non valere. Quia vero, « nisi de contrario constet, ipsi (Commissario) commissa censetur potestas ad instar Provincialis, cum omnibus facultatibus quas iuxta Constitutiones Ordinis et Decreta Apostolica habet Provincialis in sua provincia » (Stat. Miss. n. 24), eidem P. Commissario ex hoc iure particulari potestas attribuenda est contrahendi praecise illa onera etiam communitatem obligantia, quae, secundum commune ius Ordinis, Minister Provincialis pro sua provincia suscipere valet. Minister Provincialis vero, sicut prudens gubernator, etiam

intra limites competentiae propriae, nonnisi illa onera suscipere potest, quae a provincia sua impleri posse rationabiliter praevidet, ad normam CC. GG. n. 303: « Prorsus caveant omnes Ordinis nostri Superiores, ne provincias vel conventus in debita onerosa vel in obligationes oeconomicas quomodocumque inducant vel induci permittant, nisi certo constet ex consuetis eleemosynis debiti foenus posse solvi et ipsum debitum exstingui intra tempus non nimis longum ».

Nisi itaque Minister generalis facultatem onera contrahendi expresse coarctaverit, idem Minister Commissario potestatem obligationes et onera ineundi committere censetur, quae ad *ordinariam Fratrum* sustentationem pertinent. Si quis Commissarius in oneribus contrahendis prudenter prorsus egerit neque limites potestatis sibi commissae excesserit, sed provincia vel provinciae, cui vel quibus missio est concredita, ex causa improvisa (ex. gr. ob bellum inopinate exortum) subsidia ordinaria pro P. Commissario congerere non potest, onus restituendi eiusmodi debita Ministro Generali incumbit, quia Commissarius ex commissione a Ministro Generali acceptam munus suum legitime implevit.

Missio enim primario et directe Ministro Generali est commissa, qui eam ad normam Stat. Miss. n. 6-8 alicui provinciae attribuere potest, ita ut haec de adminiculo subsidii materialis *sollicita* sit et, *pro viribus contribuat*. Unde, si quae debita a Commissario legitime contracta vires provinciae excedunt, Minister Generalis seu totus Ordo onus eiusmodi debita pro viribus extinguendi suscipit.

Si quis Commissarius autem ultra potestatem sibi commissam debita contraxerit, applicandus erit can. 536, § 3: « Si contraxerit religiosus sine ulla Superiorum licentia, ipsemet respondere debet, non autem religio vel provincia vel domus ».

Alia negotia certa graviora in consilio tractanda sunt ex. gr.: erigere ecclesiam, scholam, residentiam missionarii cum aedificiis ordinarie annexis; petitio Ministro generali transmittenda, ut aliquis missionarius e missione revocetur.

Superior regularis Consiliariis suis debet « rationem red-

dere de Missarum oneribus impletis et implendis, et de omnibus acceptis et expensis ». Ut haec omnia ad veritatis calculum revideri possint, Commissarius non merum conspectum summarium Consiliariis suis exhibere, sed eisdem et fontes, unde eleemosynae singulae prodierunt, et personas vel loca vel res indicare debet pro quibus pecuniae sunt expensae; omnia demum documenta necessaria vel utilia in promptu teneat, ex quibus Consiliarii rationis datae veritatem detegere possint, si velint.

Si Commissarius e missione discedit, alterutrum Consiliarium ad libitum suum in delegatum seu vicesgerentem eligere potest. Eiusmodi delegato pro tempore delegationis suae omnes facultates competunt, quibus ipse Commissarius pollet, exceptis illis, quae intuitu personae erant concessae. Eveniente officii commissarialis vacatione, Commissarius ante officii sui exspirationem alterutrum Consiliarium non ad libitum suum ut successorem statuere valet, sed antiquior in missione Consiliarius ipso iure ad interim regimen fratrum assumere debet, qui item omnibus facultatibus gaudet, quae officio Commissarii sunt propriae. Sed « sede vacante nihil innovetur ».

« Mortuo aliquo Consiliario.... antiquior inter missionarios Ordinis suppleat locum eius, usque dum Minister generalis aliter disponat ». Itaque Minister generalis, isque solus, statim de morte Consiliarii monendus atque provisio a Ministro generali petenda est. De antiquitatis computatione infra ad n. 71 fusius loquemur.

32. De Visitatore Generali Missionum. — « Definitorii « generalis est iudicare num et quando, pro regionibus ubi plu- « res Missiones Ordini nostro concreditae existunt, expediat « *Visitatorem* delegare, cuius auctoritas in Missionibus illis « nonnisi post triennium exspiret. Huius Visitatoris erit, iuxta « instructiones a Ministro generali tradendas:

« *a*) singulas sibi adscriptas Missiones semel saltem vi- « sitare;

« *b*) accuratam relationem et utiles informationes circa « loca, res et personas Ministro generali praesentare, aptaque

« suggerere media necessitatibus cuiusque Missionis occurrentia;

« *c*) Superiores regulares ad debitum sui muneris exerci-« tium stimulare;

« *d*) Ordinarii loci desiderata excipere, examinare et cum « debitis informationibus Ministre generali transmittere;

« *e*) unionem quamdam et collaborationem inter vicinas « Missiones, intra limites sui officii promovere ».

Minister generalis, per suum Secretarium missionum, ordinarie disciplinae religiosae et uniformi regimini missionariorum religiosorum sufficienter providere valet. Si quae difficultates extraordinariae exoriantur, Ministro generali ius competit quemcumque Patrem in missiones mittendi eumque pro suo fine necessariis vel utilibus facultatibus muniendi sive sub titulo Visitatoris generalis sive simpliciter ad informationes magis obiectivas et determinatas comparandas. Immo, quando necessitas hoc postulat, potest etiam Commissarios vel Consiliarios officiis privare et quoslibet alios Patres eorum loco instituere

Quando vero plures missiones Ordini nostro commissae sunt in eodem regno aut sub iisdem vel similibus condicionibus laborant, necessaria missionum cum Curia generali relatio multo facilior securiorque evadit, delegando aliquem officialem intermedium inter Ministrum generalem et Commissarios illius regionis. Eiusmodi officiali intermedio negotia minoris momenti tractanda delegari possunt; idem per frequentes omnium missionum visitationes clarius tutiusque iudicium de vero statu missionum obtinere ac Ministro generali communicare valet; omnimodam disciplinae regularis et laboris apostolici conformitatem cum S. Sedis decretis, Constitutionibus generalibus, Missionum statutis efficacius urgere necnon cooperationem practicam tam pro vita religiosa quam pro operibus missionis inter missiones faciliorem reddere potest.

Officium talis officialis, cui in Statutis Missionum titulus « Visitatoris generalis missionum » imponitur, officio Commissarii generalis simile erit, « qui plures provincias nomine et

auctoritate Ministri generalis regit » (CC. GG. n. 541). Sed ambitus iurium et obligationum, quae Visitatori generali missionum concedentur, non est determinatus, sed per speciales instructiones eidem a Ministro generali tradendas accurate circumscribetur.

Qualescumque autem facultates Visitator generalis obtinebit, haec quae sequuntur, iam statui possunt:

1. Erit officialis Ordinis, et Superior maior et Ordinarius et Praelatus. Propterea, ut sit habilis ad tale officium, omnes qualitates habere debet, quae sive ex iure communi sive ex Constitutionibus generalibus praerequiruntur. Sunt vero fere eaedem qualitates, quibus Commissarius, sicut supra ad n. 19 expositum est, ornatus sit oportet; sc. sit

a) legitime natus (can. 504; CC. GG. n. 431);

b) non dispensatus ab irregularitate vel impedimento (can. 991, § 3; CC. GG. n. 432);

c) non infamis de crimine convictus (CC. GG. n. 433);

d) professus a quindecim annis, natus triginta quinque annos (can. 504; CC. GG. n. 434).

2. Vi Statutorum missionum n. 32:

a) Tempore actualis visitationis habebit similem potestatem et iurisdictionem ac Visitator generalis vi CC. GG. n. 605-631 obtinet. Alio tempore observabit CC. GG. n. 398: « Ad confusionem autem tollendam, caveant omnes, ne in officiis suis invicem se conturbent; hinc superiores Praelati inferiores non impediant, quominus officia sua libere, ad normam constitutionum, exerceant, sed potius eos adiuvent ac foveant uti antiqui nostri Patres statuerunt »;

b) De omnibus missionibus sibi commissis informationes securas, praesertim visitationum occasione, sibi comparet ac Ministro generali ea, quae necessaria vel utilia esse putat, communicet. Media pro missionariorum vita religiosa vel efficaci fidei propagatione opportuna Ministro generali explicet et exponat: eadem media autem, praesertim si sunt nova et inusitata, ipse non applicet nisi praevio mandato vel saltem consensu eiusdem Ministri generalis;

c) Invigilet Commissariis eosque et consiliis et monitis stimulet, ut absque timore humano, ex obedientia erga S. Sedem et Ministrum generalem, officium suum perfecte impleant;

b) Visitator generalis missionum tamquam delegatus Ministri generalis, cuius est « cum Vicariis et Praefectis Ap.licis de mediis agere ad prosperitatem missionum nostrarum conducentibus » (cfr. supra n. 4 g.) potest et debet ea, quae mutanda vel corrigenda proponuntur, quoad eorum causas, circumstantias, effectus diligenter inquirere et simul cum sententia sua Ministro generali proponere;

e) Quaeque missio est persona moralis et qua talis tam in existendo quam in agendo ab aliis independens. Omnes missiones autem in unum finem tendunt. Sicut igitur plures personae physicae in eundem finem tendentes societatem ineunt, ut viribus unitis obtineant, quae unaquaeque ex se sola perficere non potest, ita optandum omnino est, ut plures missiones, servata necessaria independentia, de iisdem mediis unanimiter adhibendis inter se conveniant. Concordia enim parvae res crescunt; discordia autem etiam maximae res dilabuntur. Quam actionum concordiam Visitator generalis missionum sua auctoritate inter Commissarios sibi subditos qua monitis, qua praeceptis urgeat sustineatque; eandem concordiam etiam inter locorum Ordinarios qua suasionibus, qua consiliis, servata debita reverentia erga eorum auctoritatem, prudenter patienterque promoveat.

Caput V.

DE MISSIONARIIS

Eorum vocatio, formatio et vita in Missionibus.

33. De fovendis vocationibus. — « Sollicitos sese de« monstrent Superiores et confratres in detegendis et nutrien« dis vocationibus ut ad Ordinem ita et ad Missiones. Operam « dent ut pueros qui indicia praebent vocationis ad Missiones

« peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, divinaeque in « eis germen vocationis foveant.

« Scholae speciales aut gymnasia, ubi fieri potest, in pro- « vinciis erigantur, in quibus pueri, futuri missionarii, susci- « piantur et humanioribus litteris erudiantur.

34. « Inter novellos religiosos, fratres praecipue clericos, « inde a novitiatu et in decursu studiorum, propensio ad Mis- « siones non solum non impugnetur, sed nutriatur et foveatur, « atque supernaturali spiritu magis ac magis imbuatur ».

Quae hic dicuntur optime illustrantur encyclica Pii P. P. XI *Rerum Ecclesiae gestarum*, 28 Febr. 1926, in cuius priore parte ipse S.mus Pontifex haud parum defatigat instando atque urgendo, ut et Episcopi et omnis clerus vocationes missionales excitent foveantque. « Rem vix attingimus sane dignissimam, inquam, Venerabiles Fratres, perdiligentem ipsimet considerationem intendatis... Praeterea, sive infinitas locorum magnitudines spectemus, quae christianae humanitati nondum patuere, sive ingentem eorum numerum, qui redemptionis beneficiis ad hunc diem carent, sive necessitates et difficultates, quibus missionales pro eorum paucitate implicantur ac praepediuntur, eo concordes episcoporum catholicorumque omnium conatus ferri oportet, ut sacrorum legatorum numerus augeatur et multiplicetur. Si qui igitur in dioecesi cuiusque vestra aut adolescentes aut clerici aut sacerdotes ad apostolatum eiusmodi praecellentissimum vocati divinitus videantur, propensis eorum consiliis studiisque gratia et auctoritas vestra obsecundet, nedum aliquo pacto obsistatis. Liceat quidem vobis, animo integro, probare spiritus si ex Deo sint (Johan. 4, 1); at si saluberrimum propositum Deo auctore haberi coepisse et maturescere iudicaveritis, iam nulla vos aut cleri penuria aut dioecesis necessitas exanimet atque ab consentiende detineat.... Data vero eius rei occasione, aequo animo, ob Christi animarumque caritatem, alicuius e clero iacturam faciatis, siquidem iactura dicenda est; quem enim amiseritis adiutorem laborum vestrorum socium, eundem vel copiosiore gratiarum in dioecesi effusione vel aliis excitatis sacri ministerii tironibus, divinus Ecclesiae conditor profecto supplebit ».

Et Benedictus XV in ep. *Maximum illud,* 30 Nov. 1919: « In locum enim unius, quem (Vos Episcopi) dimiseritis foras (i. e. ad missiones externas), plures domi sacerdotes perutiles Deus Vobis excitabit ». Nonne hae Vicarii Christi admonitiones etiam Ordini nostro, mutatis mutandis, applicari possunt et debent? Territoriorum, in quibus missionarii Franciscani laborant, immensitas, paganorum paene innumerabilis multitudo, operariorum apostolicorum paucitas, laborum difficultas haud differunt a communi missionum condicione. Idem Christi animarumque amor etiam Ministros Provinciales nostros impellat necesse est, ut, posthabito vano timore amittendi in propria provincia bonum laboratorem, vocationes ubique, tum intra tum extra Ordinem, non solum non impediant, ut potius eosdem zelose alliciant foveantque generose. Historia teste, illae provinciae, ob specialem Dei benedictionem, spiritum seraphicum melius conservabant atque uberiore tironum numero gaudebant, quae maiorem fratrum numerum in missionum servitium Deo libenter sacrificabant.

35. De formatione Missionaria. — « Aspirantes missio-« narii ad tam sublimem vocationem sedulo se praeparent atque « sive in Provincia sive praecipae in S. Antonii aut alio Colle-« gio missionario debite efformentur. Cuncta in his Collegiis « amorem spirent Missionum .Omnia studia ad hoc vergant, ut « quae sacerdoti missionario necessaria aut utilia erunt, theo-« retice et practice edoceantur. Bibliotheca in hunc sensum or-« dinetur. In labore patientiaque animi et corporis diligenter « alumni exerceantur. Voluntatem propriam frangere, naturae « silentium imponere et fide vivere discant. Pietatem et unio-« nem cum Deo quam intimam totis viribus sectentur. Dotes « naturales diligenter excolant. Quapropter docentes eligantur « qui missionarii fuerint aut certe specialem Missionum cogni-« tionem acquisierint.

36. « Qui praepediti fuerint quominus studia theologica in « Collegio missionario peragant, saltem cursum specialem unius « anni ibidem, ante profectionem suam in Missiones, frequen-« tent ».

Repetere hic liceat, quae S. Congregatio de Prop. Fide 17 Apr. 1777, ad X. (Collect. I, n. 522, p. 323) scribit: « Utrum sub gravi teneantur missionibus addicti operam ac studium adhibere, ut idonei paresque fiant exequendis muneribus suis ...? — *R.* Nullus hic ambigendi locus. Certum est apud omnes, unumquemque teneri moralem quam potest diligentiam in eo ponere, ut aptus idoneusque suis muneribus obeundis reddatur. Quae obbligatio eo gravior est, quo gravioris momenti sunt ipsa munera, quibus quisque fungitur.... Quocirca suum imprimis studium in id conferre debent sacri ministri, ut ea doctrinae subsidia comparent, quae sibi necessaria sunt ad sua munera rite obeunda.... ».

37. De Petitione Adeundi Missiones. — « Qui ad Missio-« nes destinari peroptant, implorato primum per humiles preces « divino lumine, adhibitoque propriae conscientiae moderatoris « consilio, tam Ministro generali quam Provinciali desiderium « suum in scriptis exponant, antequam per hunc litteras obe-« dientiales impetrent a supremo Moderatore Ordinis, salvo iure « directe scribendi ad normam num. 649 Const. Glium.

38. « Nullus porro religiosus petens Missiones adire, in-« consulto repellatur, sed e contra benigne suscipiatur et cum « benevolentia examinetur an adsint verae vocationis signa, « videlicet *idoneitas* physica et moralis et *rectitudo intentionis* ».

Numerus 37 maiore ex parte transumptus est ex CC. GG. n. 649. Superiores vero non quaerant extraordinarias vocationis missionalis probationes, sed contenti sint ordinariis signis in n. 38 enumeratis: idoneitate physica et morali necnon rectitudine intentionis.

Ad similem quaestionem de vocatione ad statum sacerdotales, Pius X adprobavit responsum commissionis ad hoc institutae, ubi haec statuuntur: (3.) « Nihil plus in ordinando, ut rite vocetur ab Episcopo, requiri quam rectam intentionem simul cum idoneitate in iis gratiae et naturae dotibus reposita et per eam vitae probitatem ac doctrinae sufficientiam comprobata, quae spem fundatam faciant, fore ut sacerdotii munera recte obire eiusdemque obligationes sancte servare queat » (A. A. S. vol. IV. 1912, p. 485).

39. « Ministri autem provinciales de omni ad Missiones « petitione quantocius proprium iudicium Ministro generali « transmittere tenentur (qualecumque demum fuerit, affirma- « tivum, negativum vel dubium) cum motivis quibus innititur. « Minister vero generalis, cuius est de cuiusque vocatione iudi- « care, solummodo illos ad Missiones mittat, quos post exactas « informationes a Ministris provincialibus vel aliunde receptas « dignos et idoneos invenerit ».

Novum praeceptum vi huius num. 39 omnibus Ministris Provincialibus datur, quod in CC. GG. saltem non explicite continetur. Quisque Provincialis enim suam sententiam de omni ad Missiones petitione quantocius Ministro generali communicare obligatur. Quae obligatio habetur, quando petitio adeundi missiones est seria et absoluta, non vero si tantum consilium Ministri Provincialis petitur, vel si petitioni tales condiciones vel reservationes adiunguntur, quae seriam voluntatem omnia missionis sacrificia et abnegationes sustentandi excludunt. Denique uni Ministro generali reservatur iudicium de idoneitate omnis aspirantis ad missiones.

Neminem effugere potest magna discrepantia, ne dicam contrarietas, qua hac in re differt ius antiquum, prout Regula nostra illud praebet, a iure novo, sicut Constit, gles. et Stat. Miss. illud referunt. Secundum Regulam (cap. XII), quae iuri missionario illius temporis correspondebat, Minister Provincialis:

1) recipit petitiones subditorum suorum, qui in missiones ire desiderant;

2) ipse solus iudicat definitive de petentis idoneitate;

3) mittit seu destinat illos, quos idoneos reperit, ad missiones.

E contra secundum *Constitutiones generales* (n. 649, 650).

A) - Minister generalis: 1) recipit omnes ex toto Ordine provenientes petitiones eundi in missiones;

2) ipse iudicat definitive de petentium idoneitate;

3) idem tam a Ministris provincialibus quam aliunde quaerit informationes de petentium qualitatibus;

4) ipse solus mittit in missiones illos subditos, quos idoneos reperit.

B) - Minister provincialis mere transmittit Ministro generali: 1) petitiones suorum subditorum, simulque.

2) informationes de petentium qualitatibus.

C) - Petentes subditi, si Ministri provinciales petitiones suas Ministro generali quacumque ex causa transmittere recusant, expressis verbis donantur iure directe Ministro generali scribendi, quod aliunde vi can. 611 omnibus subditis competit. Etiamsi alicuius fratris, qui in missiones ire desiderat, inhabilitas sive physica sive moralis sit tam manifesta, ut eiusmodi petitionis transmissio non solum certo inutilis, sed quasi Ministrum generalem illudens appareat, Ministri provinciales nihilominus talem petitionem Ministro generali ea forma iisque cum informationibus transmittant, ut Reverendissimus Pater debitum responsum fratri petenti facile dare possit.

Per Statuta Missionum (n. 37, 39) insuper:

1) Confirmantur (n. 37), quae in Constitutionibus g.libus (n. 649, 650) iam determinata fuerunt;

2) Ministris provincialibus stricta obligatio imponitur (n. 39) Ministro generali *a*) iudicium seu opinionem suam de omni, etiam manifeste inutili, petitione quantocius transmittendi;

b) motiva iudicii seu opinionis suae eidem Ministro generali insimul communicandi;

3) Expressis verbis uni Ministro Generali iudicium definitivum de petentis idoneitate reservatur (n. 39), quod in Constitutionibus G.libus iam implicite factum erat.

Si quaeris, quare modus mittendi missionarios in Regula nostra determinatus durare non potuerit, respondeo breviter haec: Fere usque ad tempus fundationis Ordinis nostri S. Sedes et ipsa directe aliquas missiones curaverat et Episcopis immo et singulis sacerdotibus libertatem curandi missiones reliquerat. Sed medio aevo Summi Pontifices paulatim *de facto* per se soli missionibus providere incoeperunt ac sensim sine sensu, praesertim post S. Congregationis de Prop. Fide fundationem

(anno 1622), integram missionum curam etiam *de jure* sibi reservabant, sicut demum in novo Codice J. C. can. 1350, § 2 est confirmatum.

Primis igitur Ordinis nostri saeculis Ministri provinciales subditis permiserunt S. Pontificem adire atque licentiam missiones adeundi petere. Postquam vero, crescente et missionum et missionariorum et Institutorum missionalium numero, S. Congregatio de Prop. Fide uniformitatem, stabilitatem, efficientiam laboris apostolici augere studuit, prius quidem cum Ministris provincialibus de earum missionum negotiis tractare conabatur. Multiplici autem ex causa hoc propositum mutavit ac deinceps nonnisi cum uno Ministro generali res missionales agere voluit: 1° Provinciae initio et missionum zelo fervèntes et fratrum numero abundantes, postea missionarios sufficientes mittere amplius nolebant vel interdum non poterant.

2° Provinciae haud raro Patres ineptos, immo malos, S. Congregationi de Prop. Fide praesentabant; exinde multa scandala oriebantur et effectus laborum apostolicorum aut nullus aut nimis exiguus obtinebatur.

3° Negotiorum tractationes cum multis provincialibus fere semper S. Congregationi ignotis et longe distantibus, ac in jure ac stylo curiae romanae male versatis, multo difficiliores erant quam cum uno Ministro generali ordinarie Romae residenti et Curiae Romanae optime noto. Propterea S. Sedes paulatim non amplius provinciis, sed integro Ordini missiones commisit et unum Ministrum generalem, respectu bonae missionum curae, responsabilem tenuit atque consequenter potestatem ac jurisdictionem super fratres in missionibus laborantes Ministris provincialibus ademit ac Ministro generali attribuit. Minister generalis enim per canonicas visitationes tam provincias quam missiones melius cognovit et informationes veras de mittendorum aptitudine et missionum necessitatibus sibi comparare sat facile potuit, necnon, si in una provincia vocationes missionariae deficiebant, easdem ex aliis provinciis facilius supplere valebat.

Constitutiones generales huic novo iuris ordini conformes

quidem redigebantur, sed parum attendebantur, ita ut ministri provinciales essent et sint autumantes, se vera mittendi subditos in missiones potestate praeditos esse, ac litterarum oboedientialium petitionem Ministro Generali porrigendam non esse nisi quamdam externam seu, ut moderno termino dici solet « burocraticam » formalitatem a saeculis ex stylo Curiae adhibitam nec facile corrigendam. Una ex causis ob quas ista falsa opinio perdurat, absque dubio est capitis XII Regulae textus, qui omni hebdomada publice legitur nec unquam mutatur. Utinam ius novum (si novum vocare licet, quod a duobus saeculis iam viget) tandem aliquando mentes omnium Superiorum ac subditorum tam in provinciis quam in missionibus penetret! Utinam et omnes fratres sibi persuadeant, omnes Ordinis nostri missionarios ex quacumque natione vel provincia oriundos, formare, ex mente S Sedis, quasi unum exercitum sub uno duce Ministro generali, cui quidem omnes provinciae magnanimiter et ex caritate vere catholica omnia necessaria personarum materiarumque subsidia suppeditare debent, unice gloriam Regni Christi ac totius Ordinis splendorem intendentes!

Quae supra dicta sunt, optime illustrantur instructione Ministri G.lis Aloysii a Parma, 10 Apr. 1894 (Acta Ordinis, 1894, tom. XIII pag. 71-74), et litteris encyclicis Ministri G.lis Dyonisii Schuler, 10 mart. 1910 (Acta Ordinis, tom. XXIX, 1910, pag. 154-159), quarum repetitam ac diligentem lectionem omnibus fratribus instanter commendare iuvat.

40. « Ministri provinciales, posthabito quocumque humano « respectu, sinceras exhibeant informationes, memores iudicii « Dei, cui de bono non promoto et de malo non impedito ob fal- « sas vel ambiguas informationes rationem reddituri sunt ».

Verba huius n. 40 ad verbum cum CC. GG. n. 650 concordant.

41. « Quoties verae, indubiae et praesentes necessitates Pro- « vinciae in aliquo raro casu dilationem ad tempus exigerent, « Superiores provinciales talem quoque casum ad Ministrum « generalem deferant, ut de eo coram Deo decernatur. Et si « dilatio concedatur, Superiores conentur quantocius confratri

petenti alium substituere, ut quem Deus in apostolatum elegit, « ductum Spiritus Sancti sequi sinant ».

Hic agendi norma praescribitur pro casu, quo aliqua provincia ad tempus aliquo fratre ad missiones aspiranti vere indigere videatur. Meminerint vero omnes Superiores tum verborum in praecedenti numero scriptorum, tum omnipotentiae ac providentiae divinae, in cuius potestate sunt vita et mors cuiusque confratris et cui numquam desunt media loco discedentis fratris supplendi alium vel etiam alios haud minus capaces, necnon persuasum habeant, quod benignissimus Dominus Noster J. C. provinciae eo magis benedicet quo maius est sacrificium per talis fratris dimissionem Deo O. M. oblatum.

42. « Non solum qui expresse petunt Missiones adire, sed « et illi religiosi qui, ceteroquin idonei et recta intentione ani- « mati, ita in manus Superiorum totaliter se tradunt ut de eis, « *etiam pro Missionibus,* ad libitum disponant, tanquam vere « vocati haberi et in Missiones mitti possunt ».

Tales fratres enim vera ac indubia vocationis divinae signa manifeste praeseferunt, sc. idoneitatem et rectam intentionem, sicut in n. 38 explicatum est.

43. « Qui iudicio Ministri generalis cum titulo et facultа- « tibus *Missionarii Apostolici* in Missiones sunt mittendi, spe- « ciale ad hoc examen subire tenentur. Ministri generalis est « (vi decreti 18 Dec. 1892, cfr. *Acta Ordinis* an. 1893, pag. 20 « seqq.) examinatores designare. Qui duo saltem esse debent, « et in attestatione ab ipsis subscripta et provinciae sigillo mu- « nita declarent, se ex commissione Ministri generalis Patrem « N..... circa requisitas materias theologicas examinasse et « idoneum ad munus apostolicum reperisse ».

S. Congreg. de Prop. Fide, 19 aug. 1743 (Collect. I, n. 344, p. 149): « Denominationem « Missionarii Apostolici » non competere nisi alumnis Collegiorum Pontificiorum aliisque sacerdotibus ad missiones exercendas deputatis per speciale decretum S. Congregationis ». Praeeminentia seu praecedentia, qua hoc titulo decorati ante omnes alios missionum sacerdotes excellebant, (Collect. I, n. 1002; p. 544, nota 1; ibid. n. 1092,

p. 584) revocata est per decretum S. Congregationis de Prop. Fide 16 jan. 1924 (A. A. S. tom. XVI, 1924, p. 243) atque statutum est: « unicuique sacerdoti .... ceteris paribus, in posterum secundum prioritatem presbyteralis ordinationis locus competet, ad normam can. 106 Cod. J. C., firmis manentibus ceteris privilegiis titulo Missionarii Ap.lici adnexis ». Sed de hoc fusius ad n. 71.

Speciale examen mittendorum missionariorum coram S. Congregatione de Prop. Fide ejusve delegato praescriptum est jam 24 jun. 1623 (Collect. I, n. 6, pg. 5) et 4 oct. 1707 (Collect. I, n. 273, pg. 91) et « missionarios non teneri se subiicere examini Episcopi pro audiendis confessionibus in locis suae missionis, quatenus iam examinati ab ipsa S. Congregatione de Prop. Fide » (Collect. I, n. 252, p. 86; II, n. 2280, pg. 501). Leo PP. XIII, 18 dec. 1892 Ministris generalibus Ordinis Fratrum Minorum et Capuccinorum concessit, ut ipsi, sive per se, sive per alios neo-missionariorum examen excipere valeant. (Acta Ordinis, 1893, tom. XII pg. 20-22).

44. « Fratres Laici mittuntur pro domesticis officiis sub « obedientia Superiorum, et simul ut saluti prosint animarum « oratione et exemplo. Qui vere laboriosi, pii et humiles non « sunt, nequaquam mittantur; praeferuntur qui artem aliquam « calleant Missioni utilem ».

Hoc in n. 44 principalis fratrum laicorum finis simulque eorum qualitates praeprimis necessariae generaliter indicantur. Nihil vero obstat, immo optandum est, ut etiam labore activo et directo ad animarum salutem pertinente, in quantum per eorum statum ac qualitates licet, exerceantur, ex. gr. in baptismo morientibus tam infantibus quam adultis conferendo; fratres laici sufficienter edocti etiam in scholis puerorum instructionem religiosam dare, homines indigenas variis artibus imbuere, architectum aut medicum, servatis servandis, agere, famulis operariisque invigilare, procuram et rem oeconomicam gerere valent.

Status fratrum conversorum in missionibus nostris, difficultatibus, ut experientia demonstrat, minime caret. Saepe enim diversis officiis vel successive vel etiam eodem tempore addi-

cuntur, quibus in patria assueti non erant. Fratres laici enim modo alios instruere vel regere, modo ab aliis, interdum indigenis, instrui vel regi debent; modo labores sat faciles, mundos, honorificos, modo difficiles, immundos, humiles perficere coguntur. Haud raro etiam ab aliquo opere incepto vel officio perdilecto desistere oportet, ut idem alii, forsan minus instructo indigenae, cedant. Unde his in adjunctis omnis homo abnegatione haud parva indiget, ut semper contentus maneat, neque contra Superiores murmuret nec alia officia importune vel etiam violenter anhelet. Desiderium, immo et gaudium fratris conversi esse debet, per mille servitia ad Superioris mentem reddenda missioni se utilem praebere; ad omnes labores sive gratos sive ingratos aequo animo suscipiendos paratum esse: hoc modo permagnam aestimationem et amorem verum tam sacerdotum quam Christianorum sibi conciliabit.

Quando fratres conversi labores vel officia obeunt, quae aut ad animarum curam quovis modo pertinent aut quae in Ordinarii loci potestate sunt, eorum institutio et amotio eisdem normis regitur, quae supra ad n. 14 quoad sacerdotum institutionem et amotionem indicatae sunt; quando vero aliis laboribus vel officiis occupantur, sub oboedientia solius Commissarii manent.

Spiritualem fratrum conversorum instructionem Superior religiosus ad mentem Constit. g.lium n. 109-113 fideliter ac prudenter tanquam bonus pastor procuret. Omnes Patres cum caritate speciali fratres conversos amplectantur, qui adeundo missiones eadem sacrificia ac sacerdotes libere in se susceperunt, quin tamen fructus spirituales colligere possint, quibus sacerdotes missionarii, Deo favente, fruuntur, Unde: 1. Fratres laicos in lingua vernacula addiscenda omnimode adjuvent, immo bono intellectu praeditos etiam in litteris populi, inter quem laborant, instruere non recusent. Nam etiam laici, quo melius in litteratura, in legibus moribusque populi sunt versati, eo majoris utilitatis et adiumenti missionariis sacerdotibus esse possunt, eoque facilius suis officiis sunt contenti. Scientiae enim, quas tot Sorores missionariae sibi comparare valebant, etiam fratribus nostris laicis imperviae esse non debent.

2. Fratres conversi, propter eorum defectus quoscumque, numquam despiciantur aut contristentur, sed semper, praesertim coram indigenis, secundum eorum statum honorentur eorumque bona aestimatio zelosa caritate protegatur. Patres eisdem magnam confidentiam, quam merentur, in omnibus monstrent; vitam perfecte communem cum fratribus laicis ducant eosque in omnibus ut veros fratres tractent.

3. Coram fratre laico nullus Pater, praesertim qui solus cum solo fratre converso in dissita statione vivere cogitur, de aliis sacerdotibus, etiam indigenis, male loquatur; numquam de rebus sacris, de animarum cura, praesertim de confessionibus Christianorum, tali modo loquatur, ut laicus scandalum accipere possit.

45. Iter ad Missiones. — « Qui licentiam obtinnerint Mis-« siones adeundi, ante discessum e Provincia abstineant ab eva-« gationibus et dissipationone. Concedat eis Provincialis ali-« quot dies ad valedicendum parentibus; et reliquum temporis, « per studium et exercitia spiritualia, profecturi impendant « praeparationi ad munus missionarii digne obeundum. Si qui « habeant facultatem colligendi eleemosynas, abstineant ab im-« portuna quaestuatione, sed potius Procurator provincialis Mis-« sionum provideat eorum necessitatibus ».

Ante itineris initium iam incipit vita missionaria, saltem eius praeparatio immediata. Confratres, praesertim iuniores, iter praeparantem aspiciunt observantque. Missionarius proficiscens omni in re seipsum interroget: quid proderit saluti animarum et conversioni infidelium? Quamvis non solum quae directe, sed etiam quae indirecte ad hunc finem sunt necessaria et utilia, comparare liceat, tamen etiam hic valet adagium: non multa, sed multum. Omnia utilia facere etiam zelanti missionatio impossibile est. Consilia inquirat prudentum, qui missionis condiciones bene cognoscunt. De cetero bona mentis dispositio et gratia supernaturalis plus valent quam omnia media humana, sicut patet exemplis Apostolorum et tam antiquorum quam modernorum missionariorum, qui mirabiles infidelium conversiones magis per sacrificia, per gratiam divinam, per vitam exemplarem, quam per media humana obtinuerunt.

46. « Missionarii itinerantes caveant a dissipatione et a « nimia familiaritate cum saecularibus, sed modestia et sua- « vitate morum populo aedificationi sint. Orationi mentali aliis- « que pietatis exercitiis opportunis temporibus vacent. Si plu- « res simul iter faciant, unus ex eis constituatur Superior pro « duratione itineris, cui alii humiliter obsequantur et obediant. « Statim ac ad Missionem pervenerint, de expensis Superiori « regulari rationem reddant, et quas residuas habuerint elee- « mosynas in manibus eius fideliter deponant ».

In itinere se gerant ut boni christiani, veri religiosi, sacerdotes Domini. Semper et ubique recordentur omnipraesentiae divinae; preces matutinas et vespertinas, preces ante et post manducationem numquam omittant; visitent praesertim ecclesias, missiones, opera christianae religionis; sed gaudeant christiano modo etiam de pulchritudine maris et terrae a Deo creatore, de artificiis per hominum ingenium, Deo auxiliante, exaratis.

Meditationem ac spiritualem lectionem cotidie perficere studeant ac in hunc finem ab itineris principio horarium saltem generale et circumstantiis accommodatum sibi constituant, ac constanter prudenterque sequantur; in conversatione cum saecularibus et ecclesiasticis itineris sociis sint cauti, modesti, tam nimiam rigorositatem quam laxitatem caventes; disputationes, etiam religiosas, coram multis, evitent, sed privatim interrogantibus testimonium ac rationem de fide nostra, de S. Ecclesiae institutionibus dare non recusent; ut pauperes se gerere non erubescant, sed quae statui nostro conveniunt, expendere non nimis anxii haereant; recogitantes, se esse administratores, non dominos, eleemosynarum, quas Christiani ut plurimum pauperes sibi obtulerunt, et de quibus Superioribus rationem reddere tenentur.

Sacrificium Novi Testamenti cotidie offerant, in quantum vires corporis, decor Summo Sacrificio debitus, leges Ecclesiae hoc permittunt, atque ita vivant, ut illud offerre cotidie digni sint; necessariam potestatem durante itinere confessiones recipiendi tempestive sibi procurent (can. 883); etiam S.

Olea ac Rituale Romanum pro casu necessitatis forsan occurrentis semper in promptu teneant.

47. Studium linguae. — « Deinde, de intelligentia Ordi-« narii, per sex saltem menses addiscendae linguae populari necnon dignoscendis specialibus Missionis adiunctis (morum, « consuetudinum, legislationis), sub directione ipsius Superio-« ris regularis aut idonei Magistri ab ipso designati, operam po-« tissime danto. Et illi tantum qui, facto super his examinis « periculo, sufficienter instructi reperti fuerint, a Superiore re-« gulari pro iurisdictione Ordinario praesententur.

« Qua obtenta, sub directione alicuius peritioris et anti-« quioris missionari ad sacrum ministerium tandem applicentur.

48. « Sequenti insuper triennio ad ulterius linguae stu-« dium, per annuum examen, orale et in scriptis subeundum, « adigantur, cuius materia a Superiore regulari in antecessum « indicabitur, atque exitus in relatione annua cum Ministro « generali et provinciali pro unoquoque missionario communi-« cabitur.

49. « Ceterum vires omnes exserant missionarii ut locorum « ad quae delegantur idioma perbene discant, ne postquam « omnia ad lucrandas animas reliquerunt, ob insufficientem lin-« guae peritiam in medio messis multae (contra S. Sedis ex-« pectationem), otiosi ac inutiles remanere cogantur, aut non-« nisi paucos frugum manipulos referre queant. Igitur Superio-« res omnem facilitatem et opportunitatem linguae addiscen-« dae eis procurent, et animos stimulent ut improbo tenacique « labore difficultates vincant »

Studium linguae illius populi, cui missionarius fidem annuntiare vult, esse quasi fundamentum omnis laboris apostolici, quisque facile concedit. S. Paulus (Rom. 10, 14): « Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante.... (17). Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ». Sed nonnisi lingua clare et perfecte pronuntiata effectum in auditoribus producit secundum eundem S. Paulum (1 Cor. 14. 8-11): « Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et vos per linguam nisi mani-

festum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes.... Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, et qui loquitur mihi barbarus ». Unde S. Sedes missionarios de hac obligatione severe monere numquam cessavit. Decretum S. Congregationis de Prop. F. hac in re praecipuum, ad quod plura alia eiusdem S. Congregationis decreta referuntur (ex. gr. decr. 22 iul. 1883; Collect. II, n. 1602, p. 184; et 18 oct. 1883 (pro Sinis); Collect. II, n. 1606, p. 188, ad II), prodiit 5 maii 1774 (e congressu 21 mart. 1774, Collect. I, n. 504, p. 312). Quod decretum quoad substantiam omnia praebet, quae in n. 47, 48, 49 praescribuntur: « Etsi pluries cautum sit, ut apostolici missionarii officium suscepturi omni diligentia et alacritate curarent, locorum ad quae ablegantur idiomata addiscere ne ob linguarum imperitiam in medio messis multae, contra S. Sedis expectationem otiosi ac inutiles remanerent; nihilominus, cum experientia constet, nonnullarum regionum missionarios, posthabito propriae conscientiae atque animarum ab eis divini verbi pabulum exposcentium detrimento, desides in hoc et negligentes existere: EE. PP. e re sua esse existimarunt, facto verbo cum Sanctissimo.... omnibus et singulis, qui pro Christo in terris haereticorum et infidelium legatione funguntur, modis omnibus ac etiam in virtute s. oboedientiae iterum praecipere, ut cum primum ad stationes sibi assignatas pervenerint, sedulo studeant vernaculum illius gentis sermonem callere atque in id nervos omnes intendere.

Ne vero praeceptum huiusmodi impune a quoquam violari in posterum contingat, Vicariis Apostolicis, Praefectis seu Superioribus Missionum mandant, ut post sex menses ab ingressu novorum missionariorum ad suas stationes, eos coram duobus missionariis, si commode fieri poterit, alias per se tantum, super linguae peritia examinent vel alteri, ut examinentur committant. Quod si deprehenderint illos nequaquam, prout opus erat addiscendis idiomatibus populorum quibus praesto esse et Sacramenta administrare debent, operam dedisse, inprimis serio moneant, ne in re tam gravi diligentiam suam desiderari permittant; facultates, nisi urgeat necessitas, eis denegent, iniun-

gantque ut elapso sex aliorum mensium spatio se iterum examini omnino sistant. Quo termino elapso et missionariorum desidia atque socordia durante, de ea S. Congregationem certiorem reddant, ut statuere valeat, num servi huiusmodi a bono opere torpentes atque ad sacrarum missionum opus prorsus inutiles ad regularem provinciam sint revocandi ac privatione privilegiorum, quae alias eis possint competere aliisque poenis usque ad condignam satisfactionem puniendi ».

Verba n. 47 a linea 1: « Et illi tantum... pro iurisdictione Ordinario praesententur », prohibent solummodo praesentationem pro iurisdictione super illos, quorum linguam missionarii nondum sufficienter callent. S. Congregatio de Prop. F. enim decrevit 2 Aug. 1762 (Collect. I, n. 444, p. 283): « Superiores (Regularium) neminem praesentent ad confessiones excipiendas, nisi instruatur lingua vernacula regionis, ad formam decreti S. C. die 17 mart. 1760: « Missionarios teneri quocumque iure esse sufficienter instructos idiomate, in quo confessiones excipiunt; et Praefecti Missionum non permittant missionariis huiusmodi muneris exercitium nisi, praevio examine vel per se vel per alios faciendo, de eorum idoneitate sibi constiterit » (Collect. I, n. 427, p. 276). Nihil igitur obstat, quin Missionarii novi statim ab ingressu missionis iurisdictionem pro confessionibus audiendis in illa vel illis linguis, quas sufficienter cognoscunt, petant accipiantque.

50. De quibusdam pietatis exercitiis. — « Apostolico mi- « nisterio *mentalis oratio* iungi debet, qua ad virtutum incita- « menta nihil opportunius, nihil ad spiritum abnegationis et « sacrificii retinendum vel recuperandum magis necessarium in- « venitur. Fratres itaque omnes congruo tempore et loco, diebus « singulis, per horam integram in orationem mentalem incum- « bant, cuius saltem dimidiam partem ante Missae celebratio- « nem peragant. Qui orationem mentalem habitualiter negligere « compertus fuerit, serio moneatur et nisi emendetur, solus in « districtu residere non permittatur.

51. « Semel in hebdomada, si adsit copia confessarii, secus « saltem *semel in mense, rite confiteantur* apud quemlibet con-

« fessarium approbatum, sive regularem sive saecularem, a quo « etiam a casibus in Ordine reservatis directe absolvi possunt.

52. « Lectionem spiritualem quotidie faciant. Ubi duo vel « plures insimul fuerint, in mensa semper fiat brevis lectio ex « Scriptura sacra vel ex libro *De Imitatione Christi.*

« In residentia ubi SS.mum asservatur, observent omnes « consuetudinem Religionis eundi in ecclesiam pro *visitatione* « *SS. Sacramenti* et pro examine conscientiae.

53. « Pium *Viae Crucis* exercitium feria VI vel alia hebdo- « madae die non omittant; *Coronam septem Gaudiorum* B. M. « V. in Ordine nostro celebrem et a SS. Pontificibus caelestium « munerum largitione decoratam, pro sua in Deiparam pietate, « diebus singulis recitare studeant.

54. « Quotannis ad *exercitia spiritualia* per octo integros « dies in communi peragenda conveniant, loco et tempore a Su- « periore statutis, cauto ne interim cura animarum detrimen- « tum patiatur. Ubi circumstantiae ita suaserint, exercitia po- « terunt tradi bis vel ter in anno, diversis in locis quo missio- « narii viciniores facilius convenire queant.

« Impediti ob causam a Superiore regulari probandam pri- « vatim ea peragere tenentur. Exercitiis praesideat ipse Su- « perior regularis vel missionarius ab eo designatus, qui inter- « dum ex alia Missione utiliter invitabitur.

5. « Hac quoque occasione recessus Superior regularis quae « monenda sunt moneat, corrigenda corrigat, et Fratrum desi- « derata benigne excipiens, de necessitatibus Missionum cum « ipsis conferat et omnibus animum addat.

56. « Valde opportunum et utile foret ad pietatem et fra- « ternam dilectionem confovendam, missionarios semel in mense « convenire apud suum Vicarium foraneum, ad *recollectionem* « *menstruam.* Ubi hoc difficulter fieri potest, saltem privatam « recollectionem menstruam habeant, et in fervore spiritus, in « annuo recessu concepto, se renovent ». Numeri 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56 explicatione vix indigere videntur.

Quoad lucrandas indulgentias praesertim missionariis, qui confessarii copiam nonnisi raro obtinent, maximam commodi-

tatem praebent can. 931, § 3 et fac. 38 formulae III maioris. Unde « christifideles... possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret », (exceptis indulgentiis iubilaei):

1. « qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere »;

2. « aut s. communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie (sive celebrando Missam sive ex manu alicuius sacerdotis), quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant »;

3. aut qui sibi applicare faciunt fac. 38. form. III. maioris: « Concedendi christifidelibus, ut indulgentias, propter quas confessio saltem bis in mense requiritur, lucrari possint, etsi ob legitimum impedimentum inde a mense ad poenitentiae sacramentum non accesserint ».

P. Commissarium tempore exercitiorum spiritualium commode supplere potest visitationem illorum Patrum, quos illo anno in suis residentiis videre impeditus est. Ad hunc finem libros computationum a missionariis apportatos inspiciat; interrogationes, monitiones, exhortationes etc. consuetas vel utiles faciat.

57. De observatione votorum et regulae. — « Missionarii « prompte pareant suis Superioribus tam regularibus quam ec- « clesiasticis, et officia sibi iniuncta fideliter exsequantur.

« Servanda praeterea sunt, tam a Superioribus quam a « subditis, Sanctae Sedis decreta, sive generalia, sive pro respec- « tiva Missione data. Sanctam nostram Regulam ubicumque per « circumstantias licuerit cum amore servent missionarii; si aliqua dispensatione permanenti indigeant, recurrant per Com- « missarium ad Ministrum generalem; dispensationibus non abu- « tantur, memores apostolici illius effati: « omnia mihi licent, « sed non omnia expediunt ».

Ab observatione votorum et Regulae missionarii in tantum sunt ipso facto dispensati, in quantum propagationem fidei impediunt. Maioris securitatis causa, et ne missionarii a recto tramite deflectant, pro casibus particularibus Commissarius

missionis dispensare potest eodem ambitu, quo Minister provincialis in sua provincia hoc facere valet. (CC. GG. n. 707). Eadem ex causa pro generali et permanenti dispensatione missionarii monentur, ut ad Ministrum generalem recurrant, praesertim quando dispensatio non ob causas ad animarum curam pertinentes necessaria vel utilis esse videtur. De cetero missionarii bene dispositi de Regulae observatione quamvis praeceptis eius, sicut ceteri professi, per se sub gravi peccato obligati maneant, tamen nimis anxii esse non debent; sed potius serio attendant, quomodo maiore cum fructu et propriam et aliorum salutem animae et corporis procurent.

Afferre hic liceat S. C. P. F. decretum, 20 sept. 1638 editum: « Referente E.mo D. Card. Spada instantiam missionariorum ex religionibus S. Francisci et Capuccinorum, ut declararetur quod eo ipso quod sunt facti missionarii, intelligatur eis concessus pecuniae usus tam in itinere quam in locis missionum, quando non possunt habere copiam fidelis syndici; et simul rescriptum f. r. Honorii III. ad Franciscanos in regno Marocchii missionarios; S. Congregatio censuit, si SS.mo placuerit, dispensandum esse in casu defectus fidelis syndici cum Praefectis Missionum (qui tunc temporis insimul officium Superioris regularis gerebant), circa pecuniae usum iuxta petita, additis memorati rescripti condicionibus, videlicet quando urget necessitas ac invitat utilitas, doloque ac fraude cessante, eorum sinceritatem cupiditas non seducit; eisdemque Praefectis (ut Superioribus regularibus) concedendam esse facultatem eodem modo et cum iisdem condicionibus dispensandi cum sociis Missionum eis bene visis. Non obstantibus etc. — Eodem die SS.mus D. N. decretum S. Congregationis approbavit » (Coll. I, n. 94, p. 27).

Insuper missionarii, praeprimis novi in missione advenae, consuetudinibus generalibus ibi vigentibus secure se conformant, etiamsi contra Regulam vel Constitutiones gles esse videntur, dummodo non sint aperte irrationabiles. Nam eiusmodi mores per longius tempus invalescere non possunt, quin missionarii pii et vere religiosi eosdem mores repellant, si mali sint. Insuper

Superiores suum officium invigilandi super fratrum vitam eosque si erraverint, corrigendi implevisse censendi sunt. Quando igitur Superiores scientes et non contradicentes aliquam subditorum consuetudinem per longius tempus admiserunt, eosdem talem consuetudinem approbare merito supponi potest et debet. In dubio novi missionarii petant instructionem vel dispensationem a Superiore, cuius iudicio acquiescere possunt et debent.

« Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt » (1. Cor. 6, 12, et 10, 22). St. Paulus in locis citatis tres affert causas, propter quas obligamur abstinere ab illis, quae in se non mala, sed indifferentia sunt. Itaque ab his, quae per se « omnia mihi licent », tamen abstinere debemus, 1°, si nullam rationabilem utilitatem, ne modestae recreationis quidem, afferunt; — 2°, si me in servitutem ita rediguut, ut propter ea aliquod officium vel aliquam obligationem implere non possim vel de facto non impleturus sim; — 3°, si illa per se licita proximo scandalum praebent.

58. « Quoniam non a malo tantum sed a mali etiam specie « cavendum nobis est, praecipimus omnibus et singulis, ut stu- « diose declinet *consortia*, familiaritates et conversationes ex « quibus mali suspicio oriri potest, tametsi candido animo fiant; « atque huic rei Superiores particulariter invigilent. — Num- « quam ad cubiculum privatum missionarii accessum habeant « mulieres, neque extra conspectum aliorum solus cum sola lo- « quatur. Pro servitio personali missionarii excluduntur mu- « lieres, et servus adhibitus quantum possibile maturae esto « aetatis. Confessionalia iuxta praescripta ecclesiastica instruc- « ta sint. Dignitatem sacerdotalem magni facientes, missionarii « alios ne per iocum quidem facile tangant.

« Qui de suspectis consortiis notatus fuerit et, paterne ad- « monitus, non se correxerit, severe puniatur ad normam Const. « gener. n. 373. Qui scandalum dederit, saltem e districtu pror- « sus amoveatur ».

Hac in re notari merentur antiquae Synodi Sutchuensis monitiones (Collect. II, n. 2287, 8, pag. 503): « Nemini se mul- tum familiares ostendant, ne dignitas vilescat; nimia enim fa-

miliaritas parit contemptum. Vel minimam autem familiaritatem cum mulieribus fugiant, ne pereat castitas.... Ab ipsis diligentissime caveant; verendum enim est, ne (mulieres) quo sanctiores fuerint, eo magis alliciant... Praeterea prohibemus, ne ulla mulier adeat sacerdotem ad colloquendum de re necessaria, nisi cum alia aut aliis mulieribus comitibus... Nec ipsi sacerdotes nec eorum ministri praesumant unquam manum ullius puellae neque etiam pueri apprehendere sub praetextu blandiendi et eos alliciendi.... ». De cetero, cum ob communem omnium hominum fragilitatem nulla invenintur regio, ubi hac in re scandala numquam accidissent, nullum etiam est territorium ecclesiasticum per longum tempus constitutum, pro quo ordinationes et regulae ad praecavendam speciem mali et malum ipsum omni clero specialiter praescriptae non sint. Quisque missionarius itaque stricte observet illas regulas experientia probatas.

In CC. GG. n. 373 praescribitur: « Qui de suspectis consortiis vel familiaritatibus aut de incautis conversationibus cum mulieribus convictus fuerit, et debite admonitus non se emendaverit, per aliquod tempus in conventu retineatur, ab officio suo exercendo ad tempus a Ministro Provinciali prohibeatur vel a conventu amoveatur aut etiam gravius puniatur ».

59. « Quamvis missionarii quibusdam necessariis dispensa-« tionibus quoad rerum et pecuniae usum fruantur, nihilominus « in ipso *voto paupertatis* nulla data fuit umquam relaxatio. « Ideoque neque in communi neque in particulari ullius rei « proprietatem habere possunt. Nemini ergo liceat pecunias, « etsi intuitu personae datas aut parcimonia et industria pro-« pria comparatas, suas facere aut vigilantiae Superiorum sub-« trahere aut de iis ad libitum disponere. Abusus in contra-« rium, si qui alicubi irrepserint, condemnantur prorsus et « proscribuntur ».

Sicut « religiosus, qui paroeciam regit », ita et missionarius « manet adstrictus ad observationem votorum et constitutionum, quatenus haec observatio potest cum muneris sui officiis consistere » (can. 630, § 1).

... « Bona quae ipsi obveniunt intuitu parocciae (missionis), cui praeficitur, ipsi parocciae (missioni) acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum » (ib. § 3). Nullus Franciscanus missionarius igitur umquam fit dominus, sed solummodo administrator bonorum sibi advenientium, de quibus ergo, tamquam de bonis aliorum, rationem reddere tenetur.

60. « Rerum *usum pauperem* aut moderatum statui nostro « congruentem, neque quantitate neque qualitate umquam exce« dant missionarii. Omnes expensas superfluas aut vanam glo« riam redolentes, studiose devitent. — Domicilium mutantes « nonnisi quae ad usum stricte personalem concessa fuere (puta « vestimenta, libros etc.) secum portare permittantur. Missio« nariis severe prohibita manet negotiatio quaestuosa qua emun« tur res ut carius revendantur, etiamsi exerceretur per perso« nam interpositam aut pro operibus piis ».

Quoad textus verba: « Domicilium mutantes nonnisi quae ad usum stricte personalem concessa fuere, secum portare permittantur », notentur haec: Supponitur omnes missionarios tam nostros quas indigenas in alium locum transferendos uniformiter agere, ita ut missionarius, qui discedendo totum apparatum domesticum reliquit, in nova residentia omnes res necessarias secure inveniat vel certe a Superioribus ipsi provideatur. Optandum igitur foret, quod Praesul missionis et Superior regularis conveniant determinando, quasnam res secum portare missionario et saeculari et regulari permittatur, quasnam quisque relinquere debeat. Ut omnes missionarii secundum talem conventionem omnibus notificatam de facto agant, uterque Superior proprios subditos effective urgere debet. Si quis missionarius in novam stationem transfertur, ubi antea nullus missionarius fuit, Praefectum vel Vicarium Aplicum extraordinarias expensas pro prima residentiae instructione et ornatu semel faciendas concedere convenit. Missionarius autem, ut verus paupertatis amator, contentus sit, etiamsi in nova stations non omnia habeat, quae in antiquis residentiis per multos annos exornatis inveniri solent. « Paupertatem dilexit et docuit caelestis magister Christus; et nascens in praesepio ponitur et nudus in

cruce ponitur.... ». « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus ». (I. Tim. VI, 8; ex Synodo Sutchuensi, n. 13; Collect. II. Appendix. n. 2287, pg. 504).

61. « Qui non habent *intentiones Missarum,* quotidie cele- « brent ad intentionem Superioris regularis. Omnibus autem « conceditur bis in mense libera applicatio pro suis vel alienis « necessitatibus. Pro Propagatione Fidei, pro opere S. Infan- « tiae, et pro benefactoribus Missionis vivis atque defunctis « quisque bis in anno celebret. Qui parochi sunt aut quasi-paro- « chi, Sacra *pro populo* a Iure praescripta, exacte applicent.

« Omnes Missas sive a Superiore regulari, sive aliunde ac- « ceptas cum adiectis stipendiis, item quas Missas persolve- « rint, in libello ad hoc destinato diligenter adnotent, quem « tenentur quotannis exhibere Superiori regulari simul cum « attestatione subscripta de fideli applicatione facta Missarum « sibi commissarum ».

Cf. can. 842: « Jus et officium advigilandi ut onera Mis- sarum impleantur in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Or- dinarium; in religiosorum ecclesiis ad eorum Superiores ». Can. 843, § 1: « Rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum sive saecularium sive religiosorum, in quibus eleemosynae Mis- sarum recipi solent, peculiarem habeant librum in quo accurate notent Missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosy- nam, celebrationem ». — § 2: « Ordinarii (sive locorum sive religionum pro respectivis suis ecclesiis) tenentur obligatione singulis saltem annis huiusmodi libros sive per se ipsi sive per alios recognoscendi ». — Can. 844, § 2: « Immo omnes sacer- dotes sive saeculares sive religiosi (etiam nulli ecclesiae ad- dicti) debent accurate adnotare quas quisque Missarum inten- tiones receperit, quibusve satisfecerit ».

Hunc in finem valde commodi sunt libri Missarum impres- si, in quibus pro singulis rebus noscendis, sc. pro Missarum nu- mero, intentione, eleemosyna, celebratione sive per se facta, sive alii sacerdoti vel Ordinario accredita, speciales rubricae ha- bentur, ita ut primo oculorum obtutu cognosci possit, an omnia noscenda bene sint adnotata. Ordinarii sacerdotibus suis eius- modi libros, ut iis solis utantur, praescribere possunt.

62. De labore et studio. — « Otium, malorum sentinam, « virtutis pestem et vivi hominis sepulturam maxime detestan- « tes, semper honestis et proprio ministerio competentibus labo- « ribus occupentur. Recordentur otiositatem ideo evadere mis- « sionario periculosiorem, quia plerumque solus sibi relinqui- « tur. — Si qui notabiliter otio dediti fuerint, aut neglecto pro- « prio ministerio, in variis occupationibus ad libitum tempus « terere soleant, debite moneantur, et, nisi sese emendaverint e « Missione dimittantur ».

Priora hujus num. 62 verba referunt sensum CC. GG. n. 244 quae de eadem re in sequenti n. 245 statuunt: « Qui notabiliter otiosi inventi fuerint, debite corrigantur; et quum de otiosis religiosis merito suspicari liceat, quot rectam non habeant conscientiam, qui hoc vitio laborat ad Ordinis officia non pro- moveatur ». Quoniam otiosi fratres eleemosynas pro fidei pro- pagatione datas inutiliter consumunt, immo saepius scandala et querelarum occasiones aliis fratribus necnon Christianis prae- bent, jure praescribitur, ut debite, i. e. serio graviterque moneantur, et, nisi sese emendaverint, e missione dimittantur.

63. « Missionarius laborem quotidianum sapienter distri- « buat iuxta *horarium* sibi a Superiore regulari praefixum, in « quo praecipue oratio mentalis necnon tempus pro divino offi- « cio recitando, in tuto ponantur; reliquum tempus in varias « occupationes insumatur ministerii sacri, in tradendum im- « primi catechismum pueris et rudibus, in visitationem infirmo- « rum et christianitatum, in concionum praeparationem. — « Theologiae, moralis praesertim et pastoralis, studio indefes- « sam navent operam, quod eo magis sibi necessarium sciant, « quia occasio doctiores consulendi saepe deerit et praescriptio- « nes theologiae positivae, nisi frequenter memoria refricentur, « oblivione facile delentur. — De una alterave ephemeride ec- « clesiastica Superiores provideant, quod Missionariis successive « legendum tradatur ».

Horarium missionarii diurnum, ut patet, ad minutum tem- poris, sicut in conventibus, determinari non semper potest. Mis- sionarius de orationis mentalis et breviarii necessitate et obli-

gatione ipse persuasus sit oportet, ita ut haec aliaque pietatis exercitia, quae suo tempore perficere impeditus fuerit, alio tempore opportuno supplere studeat.

Ad studia quod attinet, sapientissime missionarios monet SS.mus Pontifex Benedictus XV in ep. Maximum illud 30 nov. 1919 (A.A.S. vol. XI, 1919, p. 448): « Quamquam quispiam dicat, non esse tot rerum scientiam ei necessariam, qui gentibus ab humanitate remotissimis sit Christum nuntiaturus: Attamen si quis bono tamquam commeatu doctrinae non sit instructus, multum sibi saepe sentiet deesse praesidii ad sancti ministerii fructum. Neque enim is raro et librorum copia caret et doctorum, quos consulat, consuetudine, cum tam respondere rogantibus, quidquid contra fidem objecerint quaestionesque dissolvere perdifficiles, debeat. Ad haec quo is se eruditiorem ostendet, eo major ejus erit vulgo opinio praesertim si in populo versabitur, apud quem in honore et in pretio sint studia doctrinae; quo quidem in genere nimium sane dedeceret veritatis nuntios a ministri errorum superari ».

Utilis in nonnullis locis praxis introducta fuit, quod Superiores missionariis suis ephemerides vel periodica, ut dici solent, ab omnibus successive legenda concedant. Quod si accidit, unusquisque missionarius statim legat et vicino confratri secura via quantocius transmittat, ut omnes confratres eadem tempore non nimis retardato recipiant. Praeprimis quisque attendat, ne quod folium maculetur vel laedatur vel pereat, ut in anni fine omnes periodicorum partes in unum volumen uniri seu ligari possint.

64. « A periodica *solutione casuum* conscientiae nemo sit « exemptus. Superioris regularis est invigilare, ut solutiones « quas scriptas sibi transmitti iubeat) non obiter fiant vel ne« gligenter, sed diligenti elaborentur studio ».

Quoad casuum solutiones vel conferentias seu collationes de re morali et liturgica (can. 131 § 1) haec notentur:

I. Patres nostri plenam animarum curam exercentes (parochi, quasi-parochi, missionarii in stationibus degentes) conferentiis interesse vel resolutas quaestiones scriptas mittere

debent secundum normas ab Ordinario praescriptas, nisi illi Patres a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint. Quod patet ex can. 131 § 3 et ex Constit. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881 (Collect. II, n. 1552, p. 148): « Praecipimus ut iisdem (conferentiis) intersint vicarii quoque aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque missionum domus incolunt ». Ergo Commissarius missionis solummodo « invigilare » debet, ut casuum solutiones non negligenter fiant. Ad hunc finem easdem solutiones « scriptas sibi transmitti iubeat » (n. 64), et deinde eas Ordinario loci tradat, nisi hic expresse aliter cum Commissario convenerit, (cfr. S. C. de Prop. Fide 8 sept. 1869, Collect. II, n. 1346, n. 11, p. 22).

II. Patres nostri plenam animarum curam quidem non gerentes, sed confessiones saecularium audientes: si in eorum domo supradictae conferentiae seu casuum solutiones scriptae et Superiori regulari mittendae habentur, liberi sunt ab omni alia conferentia vel casuum solutione; — si vero tales conferentiae vel solutiones non fiunt, tenentur conferentiis interesse vel scriptas solutiones Ordinario loci transmittere, ut clare dicitur in can. 131, § 3.

III. Patres solum religiosorum proprii Ordinis confessiones audientes, quoad eiusmodi conferentiae vel casuum resolutiones solummodo proprio Superiori religioso oboedire tenentur, qui vel ad normam can. 591 eiusmodi casuum resolutiones instituet, vel contentus est confessarii idoneitate sive per examen sive aliunde cognita ad normam can. 877 (cfr. etiam CC. GG. n. 353).

Si quis mere negligens fuerit in talis casus solutione, correctio per monitionem vel etiam leviorem poenam ordinarie sufficit; si quis autem vere contumax fuerit, applicandus est can. 2377: « Sacerdotes (tam saeculares quam religiosi animarum curam exercentes) contra praescriptum can. 131 § 1 contumaces, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat; quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat ».

65. « Iuniores sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Supe-« riore regulari gravem ob causam fuerint exempti, aut qui vel

« sacram theologiam vel ius canonicum, vel philosophiam scho-
« lasticam doceant, post absolutum studiorum curriculum quo-
« tannis, saltem *per quinquennium*, a doctis gravibusque patri-
« bus *examinentur* in variis doctrinae sacrae disciplinis antea
« opportune designatis (Can. 590, C. G. 265) »; accurate cum can. 590 et fere ad verbum cum CC. GG. n. 265 convenit.

66. De Caritate Fraterna. — « Ubique, sed praesertim ubi
« Fratres ex variis nationibus vel Provinciis simul in Missio-
« nibus Deo famulantur, decet eos firmiter persistere in amore
« fraternitatis, ut sentiant et exemplo doceant quam bonum et
« iucundum sit habitare fratres in unum. Quare omnino prohi-
« bemus ne invicem contentiones ineant super regnis, regionibus
« et gentibus, sed potius secundum Regulam sint mites, pacifici
« et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus,
« sicut decet. Erga clerum quoque indigenam omnem caritatem
« exhibeant, honore eum praeveniant et cuiusvis aemulationis
« aut dissensionis fomitem penitus respuant ».

Cfr. Constit. gles. nn. 331, 332, 333: « Qui charitatem fraternam (erga confratres vel sacerdotes saeculares vel quoscumque extraneos) sive verbis sive litteris sive factis laeserit, ut perturbator pacis debite punitus ad satisfactionem compellatur. De cuius statuti executione conscientiam Superiorum specialiter onoratam declaramus ».

67. De zelo pro Conversione Infidelium. — « Quum gen-
« tilium conversio ad Christum Dominum finis praecipuus Mis-
« sionum exsistat, ad eam toto animo intendant missionarii.
« Huic fini cuncta cedant, omnia inserviant; quodquod obsta-
« culum illico removeatur, omne medium aptum avide appetatur
« et adhibeatur.

« Iniquo infidelitatis regno magnum fortemque semper
« missionarius animum opponat; perpetuo velle et constanter
« eniti debet ut omnibus paganis, quotquot sunt qui ad ipsius
« districtum pertinent, media salutis saltem offerat, et secun-
« dum hanc intentionem omnia pro viribus deliberet ac disponat.
« Animum numquam despondeat, parva lucra non despiciat,
« neque de uberiore messe habenda desperet. Voluntatem labo-

« randi et semper nova tentamina exhibendi in se acuat et sti-
« mulet, neque sola cura gregis iam fidelis sit contentus qui
« potissimum ad conversionem infidelium missus fuit ».

Ad sensum Instruct. S. Congr. de Prop. Fide, 18 oct. 1883 n. VIII (Collect, II, n. 1606, p. 192) exaratus est hic n. 67.

68. « Politicarum atque Temporalium rerum curis in « favorem nationis suae vel etiam alterius nemo sese umquam « admisceat; sed omnes hoc unum prae oculis habeant supre-
« mum sanctumque negotium: animarum nempe lucrum asse-
« quendum Deique gloriam ubique totis viribus propagandam « (Instruct. S. C. de Prop. Fide, 6 Ian. 1920) ».

Ibi legitur: « Ac miserum sane foret, si qui ex missionariis ita suae dignitatis immemores viderentur, ut potius de terrena patria quam de coelesti cogitarent eiusque plus aequo studerent potentiam dilatare gloriamque super omnia extendere ». Esset hoc quidem apostolatus pestis teterrima, quae in Evangelii praecone omnes caritatis animarum nervos elideret ipsiusque vulgo debilitaret auctoritatem. (Cfr. etiam Epist. Benedicti XV «Maximum illud » A.A.S. vol. XI, 1919, pag. 440-455). Integra instructio S. C. de Prop. F. 6 Jan. 1920 publicata est eo tantum fine, ut missionarii ab omni tendentia sive directe sive indirecte promovendi res propriae patriae revocarentur et arcerentur. Inter alia hae statuuntur regulae:

1. Vitent missionarii patrii sermonis inter alienigenas propagandi studium.

2. Caveant missionarii ne peculiares patriae suae leges aut consuetudines introducant, praesertim quoad festa, ieiunia, abstinentias.

3. Missionarii non promoveant suae nationis inter populos concreditos praeposteram invasionem.

4. Missionarii cohortentur populos ut civilibus potestatibus pareant.

5. Abstineant missionarii a promovendo quorumcumque commercio, sive cum patria propria sive cum aliis regionibus.

6. Studiose servent missionarii can. 1386 quoad editionem librorum, diariorum, foliorum periodicorum praescripta, quae de rebus praesertim politicis dicta intelligantur.

7. In commentariis missionalibus appareat studium dilatandi regnum Dei, non propriae civitatis amplitudinem.

69. « Itinera extra proprium districtum (nisi forte ad loca « immediate vicina) non faciant sine Superioris regularis ve- « nia, et si diutius abfuturi sunt, requiritur etiam licentia Or- « dinarii.

70. « Habitum Religiosum non deponant nisi necessitas id « postulet et adsit legitima licentia: quam pro casibus parti- « cularibus Superior regularis concedere poterit; secus Ministri « generalis licentia requiritur (Const. gen. 656). Ubi autem ex « tali dispensatione veste saeculari utuntur missionarii, in quan- « tum fieri potest talaris sit et tum quoad colorem tum quoad « qualitatem modestiam religiosam prae se ferat: missionarii « ubi circumstantiae id permittant (de quo Superioris est iudi- « care) domi vestimentum deferant, si non materia, forma saltem « et colore habitui Ordinis simile ».

Prior numeri 70 pars fere verbotenus cum CC. GG. n. 656 congruit. De eadem re can. 596 praescribit: « Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis ». Vermeersch (Epit, Jur. Can. t. 1, 2 1924, n. 698) de hoc canone scribit: « Nulla proprie dicta dispensandi potestas Superioribus (vi huius canonis) conceditur, sed iudicium de gravi causa formaliter refertur Superiori Maiori, aut urgente necessitate, Superiori quoque locali ». Per citatum numerum 656 Constit. Glium. autem propria dispensandi facultas datur Commissario missionis pro casibus particularibus, et Ministro G.li pro generali licentia concedenda.

71. « Praecedentiae ordo inter religiosos missionarios se- « quens determinatur: 1. Superior regularis; 2. Provicarius aut « Propraefectus (nisi de facto supremum regimen Missionis ad « interim teneat; tunc enim primum locum occupat); 3. Vica- « rius Delegatus; 4. Consiliarii; 5. Vicarii foranei in proprio « districtu; 6. ceteri sacerdotes; 7. Fratres laici secundum or- « dinem professionis simplicis.

« Inter evangelicos operarios sive indigenas sive europaeos, « ceteris paribus, sed nulla adnexa praecedentia titulo missio- « narii apostolici, praelationis ordo ex antiquiori Missionis exer- « citio servetur (S. C. de Prop. Fide 23 Nov. 1845); qui ordo pro « iis qui ex uno Vicariatu in alium transierunt, a priori suo « adventu in Missionem computandus est (S. C. Prop. Fide 23 « Aug. 1907) ».

Praecedentiae ordo iure particulari hic determinatur, secundum antiquam regulam iuris « species derogat generi » i. e. ius speciale seu particulare corrigit vel etiam abrogat ius generale seu commune. Similiter per novi Codicis J. C. normas generales in can. 22 determinatur: « Lex posterior, a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed firmo praescripto can. 6 n. 1 lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium Statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur ». Quia insuper « in iure non datur error » noster praecedentiae ordo sicut et cetera statuta pro missionibus O. F. M. legitime a summo legislatore approbata, a nostris fratribus observari deberent, etiamsi, (quod vix quidem accidet), legi communi essent contraria.

Hic praecedentiae ordo observandus est inter *religiosos* missionarios franciscanos, non inter alios viros ecclesiasticos (Vicarium vel Praefectum Aplicum, clerum saecularem vel religiosos alius religionis), qui omnes praecedentiam in can. 106 statutam sequi tenentur, sicut respectu missionariorum in genere declaratum est per decretum S. Congregationis de Prop. F. 16 jan. 1924 (A.A.S. vol. XVI, 1924 p. 243).

Quaeri potest, quare Vicarius Delegatus actualis non praecedat suo Superiori regulari? Obiici enim potest Vicarium Delegatum esse ad instar Vicarii generalis in dioecesi, qui « publice privatimque praecedentiae ius habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus... » (can. 370 § 1), et « durante munere habet tantum privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis » (can. 370, §2); insuper quod Vicario

Delegato « ea competit in universa dioecesi iurisdictio.... quae ad episcopum iure ordinario pertinet » (can. 368, § 1); proinde iurisdictionem etiam in Superiorem regularem habere, in quantum Superior regularis sit extra conventum vel si curam animarum exercere desideret. Ergo quia vi can. 106, § 2: « Cui est auctoritas in personas sive physicas sive morales, eidem ius est praecedentiae supra illas », Vicarius Delegatus suo Superiori religioso praecedat oportet.

R. Vicarius Delegatus gaudet omnibus facultatibus Vicario generali tributis ad normam can. 368, §1, 2 (Ep. S. Congregationis de Prop. F. 8 Dec. 1919 A.A.S. vol. XII, 1920, p. 120), minime vero omnibus honoribus per positivam legislatoris voluntatem Vicario Generali in can. 370 attributis. Si enim S. R. Pontifex Vicariis et Praefectis Aplicis. potestatem nominandi Vicarium Generalem elargiri voluisset, 1) hoc simplicibus verbis facere potuisset. Sed de facto eisdem concessit solummodo potestatem nominandi aliquem sacerdotem, cui facultates *iurisdictionales* Vicarii Generalis convenirent;

2) retinuisset etiam nomen « Vicarii Generalis », quod non tantum in dioecesibus, sed etiam in missionibus a longissimo tempore iam erat in usu (1);

3) attribuisset eidem Vicario Delegato non unum canonem 368, sed omnes canones 366-371, qui de Vicario Generali agunt;

4) debuisset Codicem vix duobus annis antea promulgatum corrigere, quod SSmus. Pontifex vix facere voluisset, et si fecisset, in Actis Aplicae Sedis publicatum utique fuisset (can. 9).

Unde concludimus: Vicarius Delegatus, in quantum auctoritatem in suum Commissarium habet, seu in quantum res ad regimen missionis vel ad curam animarum spectantes tractat, in tantum praecedentiam ante suum Superiorem habet, ex. gr.

---

(1) S. C. P. F. 22 Jan. 1759 (Coll. I. n. 412 p. 263); - S. C. P. F. 29 Jul. 1841 (Coll. I. n. 933, p. 52); - Facultas XXVI a S. C. P. F. concessa 1895 (Coll. Hongkong, 1905, n. 60, p. 29).

« randi et semper nova tentamina exhibendi in se acuat et sti-
« mulet, neque sola cura gregis iam fidelis sit contentus qui
« potissimum ad conversionem infidelium missus fuit ».

Ad sensum Instruct. S. Congr. de Prop. Fide, 18 oct. 1883 n. VIII (Collect, II, n. 1606, p. 192) exaratus est hic n. 67.

68. « Politicarum atque Temporalium rerum curis in « favorem nationis suae vel etiam alterius nemo sese umquam « admisceat; sed omnes hoc unum prae oculis habeant supre-« mum sanctumque negotium: animarum nempe lucrum asse-« quendum Deique gloriam ubique totis viribus propagandam « (Instruct. S. C. de Prop. Fide, 6 Ian. 1920) ».

Ibi legitur: « Ac miserum sane foret, si qui ex missionariis ita suae dignitatis immemores viderentur, ut potius de terrena patria quam de coelesti cogitarent eiusque plus aequo studerent potentiam dilatare gloriamque super omnia extendere ». Esset hoc quidem apostolatus pestis teterrima, quae in Evangelii praecone omnes caritatis animarum nervos elideret ipsiusque vulgo debilitaret auctoritatem. (Cfr. etiam Epist. Benedicti XV «Maximum illud » A.A.S. vol. XI, 1919, pag. 440-455). Integra instructio S. C. de Prop. F. 6 Jan. 1920 publicata est eo tantum fine, ut missionarii ab omni tendentia sive directe sive indirecte promovendi res propriae patriae revocarentur et arcerentur. Inter alia hae statuuntur regulae:

1. Vitent missionarii patrii sermonis inter alienigenas propagandi studium.

2. Caveant missionarii ne peculiares patriae suae leges aut consuetudines introducant, praesertim quoad festa, ieiunia, abstinentias.

3. Missionarii non promoveant suae nationis inter populos concreditos praeposteram invasionem.

4. Missionarii cohortentur populos ut civilibus potestatibus pareant.

5. Abstineant missionarii a promovendo quorumcumque commercio, sive cum patria propria sive cum aliis regionibus.

6. Studiose servent missionarii can. 1386 quoad editionem librorum, diariorum, foliorum periodicorum praescripta, quae de rebus praesertim politicis dicta intelligantur.

7. In commentariis missionalibus appareat studium dilatandi regnum Dei, non propriae civitatis amplitudinem.

69. « Itinera extra proprium districtum (nisi forte ad loca « immediate vicina) non faciant sine Superioris regularis ve- « nia, et si diutius abfuturi sunt, requiritur etiam licentia Or- « dinarii.

70. « Habitum Religiosum non deponant nisi necessitas id « postulet et adsit legitima licentia: quam pro casibus parti- « cularibus Superior regularis concedere poterit; secus Ministri « generalis licentia requiritur (Const. gen. 656). Ubi autem ex « tali dispensatione veste saeculari utuntur missionarii, in quan- « tum fieri potest talaris sit et tum quoad colorem tum quoad « qualitatem modestiam religiosam prae se ferat: missionarii « ubi circumstantiae id permittant (de quo Superioris est iudi- « care) domi vestimentum deferant, si non materia, forma saltem « et colore habitui Ordinis simile ».

Prior numeri 70 pars fere verbotenus cum CC. GG. n. 656 congruit. De eadem re can. 596 praescribit: « Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis ». Vermeersch (Epit, Jur. Can. t. 1, 2 1924, n. 698) de hoc canone scribit: « Nulla proprie dicta dispensandi potestas Superioribus (vi huius canonis) conceditur, sed iudicium de gravi causa formaliter refertur Superiori Maiori, aut urgente necessitate, Superiori quoque locali ». Per citatum numerum 656 Constit. Glium. autem propria dispensandi facultas datur Commissario missionis pro casibus particularibus, et Ministro G.li pro generali licentia concedenda.

71. « Praecedentiae ordo inter religiosos missionarios se- « quens determinatur: 1. Superior regularis; 2. Provicarius aut « Propraefectus (nisi de facto supremum regimen Missionis ad « interim teneat; tunc enim primum locum occupat); 3. Vica- « rius Delegatus; 4. Consiliarii; 5. Vicarii foranei in proprio « districtu; 6. ceteri sacerdotes; 7. Fratres laici secundum or- « dinem professionis simplicis.

« Inter evangelicos operarios sive indigenas sive europaeos, « ceteris paribus, sed nulla adnexa praecedentia titulo missio- « narii apostolici, praelationis ordo ex antiquiori Missionis exer- « citio servetur (S. C. de Prop. Fide 23 Nov. 1845); qui ordo pro « iis qui ex uno Vicariatu in alium transierunt, a priori suo « adventu in Missionem computandus est (S. C. Prop. Fide 23 « Aug. 1907) ».

Praecedentiae ordo iure particulari hic determinatur, secundum antiquam regulam iuris « species derogat generi » i. e. ius speciale seu particulare corrigit vel etiam abrogat ius generale seu commune. Similiter per novi Codicis J. C. normas generales in can. 22 determinatur: « Lex posterior, a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed firmo praescripto can. 6 n. 1 lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium Statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur ». Quia insuper « in iure non datur error » noster praecedentiae ordo sicut et cetera statuta pro missionibus O. F. M. legitime a summo legislatore approbata, a nostris fratribus observari deberent, etiamsi, (quod vix quidem accidet), legi communi essent contraria.

Hic praecedentiae ordo observandus est inter *religiosos* missionarios franciscanos, non inter alios viros ecclesiasticos (Vicarium vel Praefectum Aplicum, clerum saecularem vel religiosos alius religionis), qui omnes praecedentiam in can. 106 statutam sequi tenentur, sicut respectu missionariorum in genere declaratum est per decretum S. Congregationis de Prop. F. 16 jan. 1924 (A.A.S. vol. XVI, 1924 p. 243).

Quaeri potest, quare Vicarius Delegatus actualis non praecedat suo Superiori regulari? Obiici enim potest Vicarium Delegatum esse ad instar Vicarii generalis in dioecesi, qui « publice privatimque praecedentiae ius habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus... » (can. 370 § 1), et « durante munere habet tantum privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis » (can. 370, §2); insuper quod Vicario

Delegato « ea competit in universa dioecesi iurisdictio.... quae ad episcopum iure ordinario pertinet » (can. 368, § 1); proinde iurisdictionem etiam in Superiorem regularem habere, in quantum Superior regularis sit extra conventum vel si curam animarum exercere desideret. Ergo quia vi can. 106, § 2: « Cui est auctoritas in personas sive physicas sive morales, eidem ius est praecedentiae supra illas », Vicarius Delegatus suo Superiori religioso praecedat oportet.

R. Vicarius Delegatus gaudet omnibus facultatibus Vicario generali tributis ad normam can. 368, §1, 2 (Ep. S. Congregationis de Prop. F. 8 Dec. 1919 A.A.S. vol. XII, 1920, p. 120), minime vero omnibus honoribus per positivam legislatoris voluntatem Vicario Generali in can. 370 attributis. Si enim S. R. Pontifex Vicariis et Praefectis Aplicis. potestatem nominandi Vicarium Generalem elargiri voluisset, 1) hoc simplicibus verbis facere potuisset. Sed de facto eisdem concessit solummodo potestatem nominandi aliquem sacerdotem, cui facultates *iurisdictionales* Vicarii Generalis convenirent;

2) retinuisset etiam nomen « Vicarii Generalis », quod non tantum in dioecesibus, sed etiam in missionibus a longissimo tempore iam erat in usu (1);

3) attribuisset eidem Vicario Delegato non unum canonem 368, sed omnes canones 366-371, qui de Vicario Generali agunt;

4) debuisset Codicem vix duobus annis antea promulgatum corrigere, quod SSmus. Pontifex vix facere voluisset, et si fecisset, in Actis Aplicae Sedis publicatum utique fuisset (can. 9).

Unde concludimus: Vicarius Delegatus, in quantum auctoritatem in suum Commissarium habet, seu in quantum res ad regimen missionis vel ad curam animarum spectantes tractat, in tantum praecedentiam ante suum Superiorem habet, ex. gr.

---

(1) S. C. P. F. 22 Jan. 1759 (Coll. I. n. 412 p. 263); - S. C. P. F. 29 Jul. 1841 (Coll. I. n. 933, p. 52); - Facultas XXVI a S. C. P. F. concessa 1895 (Coll. Hongkong, 1905, n. 60, p. 29).

vel inspectione. Administratores vero constituuntur aut jure aut tabulis fundationis aut voluntate Ordinarii loci (can. 1521 § 1). Infra videbimus, S. Sedem Superiori regulari missionum nostrarum ius vel per seipsum vel per alios fratres administrandi ea bona temporalia attribuere, quae intuitu missionis fratribus nostris a fidelibus oblata aut corrogata sunt (n. 87, 88).

Bona usui Ordinis nostri destinata, i. e. quae potius intuitu personae aut Ordinis aut laboris praestiti aut qua stipendia missarum nobis donantur, per Commissarium eiusque subditos missionarios plene administrantur, sub vigilantia et inspectione aut solius Ministri generalis aut, si missio uni provinciae est concredita, etiam Ministri provincialis (84b-89).

Quaenam bona sint missionis et quae sint usui Ordinis nostri destinata, legitimis titulis probari debet. Qui tituli sunt iidem ac tituli pro omni bonorum temporalium acquisitione, sc. occupatio seu inventio, accessio, labor, contractus, praescriptio. (Cfr. Noldin, Theol. Mor. II, 1922, n. 582, p. 413). Nam « Ecclesia, i. e. non solum Ecclesia universa aut Sedes Apostolica, sed etiam quaelibet persona moralis in Ecclesia (can. 1498), acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet. Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisierit » (c. 1499, § 1, 2). Ordo Fratrum Minorum dominium verum quidem acquirere non potest; attamen, quaenam res usui eiusdem Ordinis destinatae sint necnon ab eodem Ordine administrentur, demonstratur iisdem titulis, quibus apud alias personas vel physicas vel morales proprium dominium probatur. Quoad titulos praescriptionis et contractus in memoriam revocare liceat canones hac in re fundamentales, qui etiam in terris missionum applicari debent:

« Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum (1509-1511) qui sequuntur » (can. 1508).

« Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eodem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur » (can. 1529).

85. « Usui Ordinis destinata censentur conventus, residen- « tiae aut hospitia cum adiecto horto, si religiosis *ut talibus* « fuerint data vel pro ipsis erecta. Item mobilia omnia, utensi- « lia, libri etc. in Fratrum usum sive individuum sive communem « comparata aut donata. — Horum omnium administratio est « penes Superiorem regularem ad normam Constitutionum ge- « neralium Ordinis »

Quorumnam bonorum usus Fratribus Minoribus et quibusnam sub condicionibus sit concessus, ex Constitutionibus generalibus constat, et in hoc num. 85 summatim indicatur; quibus autem rebus, per se prohibitis, missionarii Ordinis nostri vi dispensationum legitimarum uti valeant, per litteras ab auctoritate competenti editas probari debet.

N. B. — Si quando in sequentibus paginis aliqua bona, brevitatis causa, dicuntur « bona Ordinis » vel « bona ad Ordinem pertinentia » vel similia verba adhibentur, semper intelligenda sunt secundum sensum Regulae et Constitutionum generalium, i. e. quod illa bona temporalia non quoad dominium, sed solum quoad usum legitimum ad Ordinem pertineant, dum eorum dominium aut apud benefactores remaneat, aut sit apud S. Sedem.

86. « Bona Missionis sunt ea omnia quae intuitu Missionis « data sunt, sive mobilia sint sive immobilia, uti domus, eccle- « siae, sacella, coemiteria, scholae, hospitalia, fundi et terrena; « item pecuniae a Missione ad lucrum collocatae, contributiones « Propagationis Fidei, Operis S. Petri, Sacrae Infantiae alio- « rumque huiusmodi, redditus quoque dictorum fundorum et « pecuniarum.

« Quae omnia administrat Ordinarius loci cum Consilio « suo per Procuratorem temporalem aut Oeconomum a se de- « putatum; et post necessariam missionariorum sustentationem

« impenduntur in educationem cleri indigenae, et in varia alia « opera Missionis (cfr. Instr. 8, C. de Prop. 18 Oct. 1883, IV, « 8: V. 7; XIV) ».

Numeri 86 et 87 ita cohaerent: prior (n. 86) enumerat bona missionis, quae a loci Ordinario administrantur, utpote quae eidem iam definitive tradita sunt; alter (n. 87) indicat bona, quae a fratribus nostris administrantur, sive sint bona missionis sive bona usui Ordinis destinata. Bona missionis ab Ordinario loci administranda discernuntur 1) in res mobiles vel immobiles, 2) et in pecuniam *a Missione* ad lucrum collocatam, 3) et in contributiones annuas variarum Unionum missionalium in n. 86 enumeratarum, 4) et in redditus ex supradictis.

In citata instructione S. Congregationis de Prop. Fide 18 Oct. 1883 (Collect. II, n. 1606, p. 187-196) de bonorum administratione haec leguntur IV, 8 (pag. 190): « Quod vero pertinet ad redditus, ad seminaria constituenda, iuvenesque alendos.... id tantum S. Congregatio enixe commendat omnibus Vicariis Apostolicis, ut in eleemosynis ad opera missionum applicandis primam potioremque partem post necessariam missionariorum sustentationem Seminario attribuant ». V. 7 (pag. 191): « Licet in pluribus Sinensis imperii missionibus consilium missionariorum, qui Episcopo in gerendis negotiis gravioribus adsideant, saluberrime invectum sit, praestat nihilominus, ut in aliis, in quibus vel adhuc huiusmodi subsidium desideratur vel omnino regulariter constitutus consessus haud dici potest, quam primum id fiat. Antiquissimum enim in Ecclesia catholica est, ut seniorum quorumdam adiutorium ad huiusmodi rerum tractationem maturiorem ac faciliorem praesulibus adderetur, quod sequentibus temporibus per Capitulum ecclesiarum cathedralium effectum est. Curandum itaque ab omnibus, ut qua meliori fieri potest ratione Consilium illud munere suo diligenter fungatur ». Statuit en. 302: « Constituant (Vicarii et Praefecti Aplici) Consilium ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant in gravioribus et difficilioribus negotiis ».

In citata instructione S. Congregatio de Prop. Fide dicitur sub n. XIV (pag. 195): « S. Congregatio magni momenti ea

omnia esse existimavit, quae ad bonorum temporalium administrationem referuntur, siquidem horum occasione saepe quaestionis, suspiciones et invidiae oriuntur, quae religionis bono et ecclesiastici ministerii honori maxime obsunt. Hinc, prout iam anno 1869 (8 sept. Collect. II, n. 1346 sub 27, pag. 24) Vicariis Apostolicis Indiarum praescriptum fuerat, ita voluit ut in unoquoque Vicariatu Aplico, Sinensi, bonorum temporalium administrationi gerendae Consilium constituatur; ubi vero iam constitutum reperitur, accurate servetur. Iamvero huiusmodi Consilium ex nonnullis prudentioribus missionariis a Vicario Ap.lico designandis, qui illi ipsi esse possunt, qui adsistere debent Vicario Ap.lico in aliis gravioribus missionis negotiis expediendis, constare debet, cum quibus ipse Vicarius Ap.licus in rebus temporalibus quoque agat eorumque audiat consilia.

Hoc consessu uti debet Vicarius Aplicus sive ad tractationem rerum ipsarum temporalium gerendam, sive antequam ad alienationes efficiendas rem Aplicae Sedi proponat, sive ad exercendam vigilantiam circa administrationes speciales bonorum uniuscujusque christianitatis, oblationum et collectarum, sive ad revisionem redditionis rationum, quam singulis annis missionarii servata quoad Regulares Constitutione *Romanos Pontifices* (Leonis XIII, 8 maii 1881), Vicariis Aplicis exhibere tenentur. Hac ratione profecto fiet ut ecclesiasticum patrimonium conservetur, benefactorum voluntas sarta tectaque sit, litibus et abusibus et corruptelis via praecludatur ». In supra allegata instructione S. Congregationis de Prop. Fide 8 Sept. 1869, sub 27 praescriptum fuit: « ut autem omnium ecclesiasticorum redituum administratio ordinate procedat in unoquoque Vicariatu Consilium eidem administrationi gerendae constituendum est; ubi vero iam constitutum reperitur accurate reformandum. Quod quidem Consilium ex nonnullis prudentioribus missionariis a Vicario Aplico designandis constare debet cum quibus ipse Vicarius in negotiis gravioris momenti aget, eorumque audiet consilia: et cum sermo sit de novis ecclesiis aut domibus, collegiis, scholis fundandis, numquam aget contra maioris saniorisque missionariorum partis consilium ».

vel inspectione. Administratores vero constituuntur aut jure aut tabulis fundationis aut voluntate Ordinarii loci (can. 1521 § 1). Infra videbimus, S. Sedem Superiori regulari missionum nostrarum ius vel per seipsum vel per alios fratres administrandi ea bona temporalia attribuere, quae intuitu missionis fratribus nostris a fidelibus oblata aut corrogata sunt (n. 87, 88).

Bona usui Ordinis nostri destinata, i. e. quae potius intuitu personae aut Ordinis aut laboris praestiti aut qua stipendia missarum nobis donantur, per Commissarium eiusque subditos missionarios plene administrantur, sub vigilantia et inspectione aut solius Ministri generalis aut, si missio uni provinciae est concredita, etiam Ministri provincialis (84b-89).

Quaenam bona sint missionis et quae sint usui Ordinis nostri destinata, legitimis titulis probari debet. Qui tituli sunt iidem ac tituli pro omni bonorum temporalium acquisitione, sc. occupatio seu inventio, accessio, labor, contractus, praescriptio. (Cfr. Noldin, Theol. Mor. II, 1922, n. 582, p. 413). Nam « Ecclesia, i. e. non solum Ecclesia universa aut Sedes Apostolica, sed etiam quaelibet persona moralis in Ecclesia (can. 1498), acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id aliis licet. Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisierit » (c. 1499, § 1, 2). Ordo Fratrum Minorum dominium verum quidem acquirere non potest; attamen, quaenam res usui eiusdem Ordinis destinatae sint necnon ab eodem Ordine administrentur, demonstratur iisdem titulis, quibus apud alias personas vel physicas vel morales proprium dominium probatur. Quoad titulos praescriptionis et contractus in memoriam revocare liceat canones hac in re fundamentales, qui etiam in terris missionum applicari debent:

« Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum (1509-1511) qui sequuntur » (can. 1508).

« Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eodem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur » (can. 1529).

85. « Usui Ordinis destinata censentur conventus, residen- « tiae aut hospitia cum adiecto horto, si religiosis *ut talibus* « fuerint data vel pro ipsis erecta. Item mobilia omnia, utensi- « lia, libri etc. in Fratrum usum sive individuum sive communem « comparata aut donata. — Horum omnium administratio est « penes Superiorem regularem ad normam Constitutionum ge- « neralium Ordinis »

Quorumnam bonorum usus Fratribus Minoribus et quibusnam sub condicionibus sit concessus, ex Constitutionibus generalibus constat, et in hoc num. 85 summatim indicatur; quibus autem rebus, per se prohibitis, missionarii Ordinis nostri vi dispensationum legitimarum uti valeant, per litteras ab auctoritate competenti editas probari debet.

N. B. — Si quando in sequentibus paginis aliqua bona, brevitatis causa, dicuntur « bona Ordinis » vel « bona ad Ordinem pertinentia » vel similia verba adhibentur, semper intelligenda sunt secundum sensum Regulae et Constitutionum generalium, i. e. quod illa bona temporalia non quoad dominium, sed solum quoad usum legitimum ad Ordinem pertineant, dum eorum dominium aut apud benefactores remaneat, aut sit apud S. Sedem.

86. « Bona Missionis sunt ea omnia quae intuitu Missionis « data sunt, sive mobilia sint sive immobilia, uti domus, eccle- « siae, sacella, coemiteria, scholae, hospitalia, fundi et terrena; « item pecuniae a Missione ad lucrum collocatae, contributiones « Propagationis Fidei, Operis S. Petri, Sacrae Infantiae alio- « rumque huiusmodi, redditus quoque dictorum fundorum et « pecuniarum.

« Quae omnia administrat Ordinarius loci cum Consilio « suo per Procuratorem temporalem aut Oeconomum a se de- « putatum; et post necessariam missionariorum sustentationem

« impenduntur in educationem cleri indigenae, et in varia alia « opera Missionis (cfr. Instr. 8, C. de Prop. 18 Oct. 1883, IV, « 8: V. 7; XIV) ».

Numeri 86 et 87 ita cohaerent: prior (n. 86) enumerat bona missionis, quae a loci Ordinario administrantur, utpote quae eidem iam definitive tradita sunt; alter (n. 87) indicat bona, quae a fratribus nostris administrantur, sive sint bona missionis sive bona usui Ordinis destinata. Bona missionis ab Ordinario loci administranda discernuntur 1) in res mobiles vel immobiles, 2) et in pecuniam *a Missione* ad lucrum collocatam, 3) et in contributiones annuas variarum Unionum missionalium in n. 86 enumeratarum, 4) et in redditus ex supradictis.

In citata instructione S. Congregationis de Prop. Fide 18 Oct. 1883 (Collect. II, n. 1606, p. 187-196) de bonorum administratione haec leguntur IV, 8 (pag. 190): « Quod vero pertinet ad redditus, ad seminaria constituenda, iuvenesque alendos.... id tantum S. Congregatio enixe commendat omnibus Vicariis Apostolicis, ut in eleemosynis ad opera missionum applicandis primam potioremque partem post necessariam missionariorum sustentationem Seminario attribuant ». V. 7 (pag. 191): « Licet in pluribus Sinensis imperii missionibus consilium missionariorum, qui Episcopo in gerendis negotiis gravioribus adsideant, saluberrime invectum sit, praestat nihilominus, ut in aliis, in quibus vel adhuc huiusmodi subsidium desideratur vel omnino regulariter constitutus consessus haud dici potest, quam primum id fiat. Antiquissimum enim in Ecclesia catholica est, ut seniorum quorumdam adiutorium ad huiusmodi rerum tractationem maturiorem ac faciliorem praesulibus adderetur, quod sequentibus temporibus per Capitulum ecclesiarum cathedralium effectum est. Curandum itaque ab omnibus, ut qua meliori fieri potest ratione Consilium illud munere suo diligenter fungatur ». Statuit cn. 302: « Constituant (Vicarii et Praefecti Aplici) Consilium ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant in gravioribus et difficilioribus negotiis ».

In citata instructione S. Congregatio de Prop. Fide dicitur sub n. XIV (pag. 195): « S. Congregatio magni momenti ea

omnia esse existimavit, quae ad bonorum temporalium administrationem referuntur, siquidem horum occasione saepe quaestionis, suspiciones et invidiae oriuntur, quae religionis bono et ecclesiastici ministerii honori maxime obsunt. Hinc, prout iam anno 1869 (8 sept. Collect. II, n. 1346 sub 27, pag. 24) Vicariis Apostolicis Indiarum praescriptum fuerat, ita voluit ut in unoquoque Vicariatu Aplico, Sinensi, bonorum temporalium administrationi gerendae Consilium constituatur; ubi vero iam constitutum reperitur, accurate servetur. Iamvero huiusmodi Consilium ex nonnullis prudentioribus missionariis a Vicario Ap.lico designandis, qui illi ipsi esse possunt, qui adsistere debent Vicario Ap.lico in aliis gravioribus missionis negotiis expediendis, constare debet, cum quibus ipse Vicarius Ap.licus in rebus temporalibus quoque agat eorumque audiat consilia.

Hoc consessu uti debet Vicarius Aplicus sive ad tractationem rerum ipsarum temporalium gerendam, sive antequam ad alienationes efficiendas rem Aplicae Sedi proponat, sive ad exercendam vigilantiam circa administrationes speciales bonorum uniuscujusque christianitatis, oblationum et collectarum, sive ad revisionem redditionis rationum, quam singulis annis missionarii servata quoad Regulares Constitutione *Romanos Pontifices* (Leonis XIII, 8 maii 1881), Vicariis Aplicis exhibere tenentur. Hac ratione profecto fiet ut ecclesiasticum patrimonium conservetur, benefactorum voluntas sarta tectaque sit, litibus et abusibus et corruptelis via praecludatur ». In supra allegata instructione S. Congregationis de Prop. Fide 8 Sept. 1869, sub 27 praescriptum fuit: « ut autem omnium ecclesiasticorum redituum administratio ordinate procedat in unoquoque Vicariatu Consilium eidem administrationi gerendae constituendum est; ubi vero iam constitutum reperitur accurate reformandum. Quod quidem Consilium ex nonnullis prudentioribus missionariis a Vicario Aplico designandis constare debet cum quibus ipse Vicarius in negotiis gravioris momenti aget, eorumque audiet consilia: et cum sermo sit de novis ecclesiis aut domibus, collegiis, scholis fundandis, numquam aget contra maioris saniorisque missionariorum partis consilium ».

Ordo in assignandis eleemosynis servandus igitur secundum intentionem S. Sedis hic est: 1°. procuretur congrua missionariorum sustentatio; 2°. deinde seminario et cleri educationi provideatur; 3°. demum aliis missionis operibus prospiciatur. Talem ordinem fini missionis, qui est propagatio fidei, omnino convenire facile patet consideranti et necessitatem cleri actualis atque futuri et meram utilitatem haud raro indirectam aliorum operum, qualia sunt catechistatus, catechumenatus, scholae, praesertim altiores vel pro fabris et artificibus erectae, orphanotrophia, nosocomia. Ex quo sequitur, illos missionum Superiores minus recte secundum S. Sedis intentionem et proprii officii finem agere, qui fratres vel sorores vel etiam laicos magistros, medicos etc. pro curandis scholis, nosocomiis, aliisve caritatis operibus invitant vel conducunt cum obligatione tam has personas quam opera iis concredita sustentandi, quando missionis subsidia vix pro debita cleri seminariique sustentatione sufficiunt et consequenter labor missionariorum aut instructio in seminariis minuitur vel impeditur.

87. « Ne tamen Superiores ecclesiastici, hac necessitate pro-
« videndi sustentationi missionariorum, nimium graventur, Ordo
« noster universus, praesertim vero Provincia cui determinata
« Missio concredita est, operariorum nostrorum subsistentiae
« imo et operibus Missionis pro viribus efficaciter contribuet,
« per eleemosynas in hunc finem a fidelibus oblatas aut corro-
« gatas et Superiori regulari transmittendas » (cfr. supra n. 2, 8).

Missiones fere omnes destitutae sunt necessariis mediis pro fidei propagatione, sicut decet, peragenda, neque Vicarius vel Praefectus Aplicus, cui totius missionis cura ex officio incumbit, eleemosynas vix unquam tantas accipit, quantis pro omnibus necessariis et utilibus propagationis fidei operibus indiget; immo idem Superior ecclesiasticus propter varios eosque graves continuosque officii sui labores raro invenit tempus quaerendi necessaria subsidia personaliter vel per epistolas. Unde nemo, obligationis implendae conscius, arduum Vicarii vel Praefecti Aplici, officium in se suscipere vellet, nisi recto sperare

posset fore, ut missionarii sui aliique fratres Ordinis vel provinciae, cui missio concredita est, in quaerendis eleemosynis pro viribus collaborarent.

Ordo vel provincia a benefactoribus subsidia pro missionibus sibi commissis petens primario intendat necesse est, congruam sustentationem procurare propriis Ordinis vel Provinciae filiis, qui ex voluntate Superiorum in longinqua missionis terra laborant. Nam missionarii Ordinis nostri, sicut alii professi religiosi, vota emittentes, quasi contractum cum Ordine fecerunt, quo Ordo promisit se velle fratribus professis de omnibus, quibus secundum statum suum et officia eisdem forsan imponenda indigent, sufficienter providere, dummodo ipsi fratres Regulam et Constitutiones fideliter observent. Qua in re nihil refert, utrum fratres cum voluntate vel consensu Superiorum in propria provincia vel extra illam degant.

Vi iuris naturalis etiam fratres nostri sustentationem statui ac officio suo convenientem ab illo petere valent, pro quo vires suas impendunt; sic parochi franciscani a parochia, fratres qui sunt magistri a schola sua, et fratres missionarii a missione alimentationem iure expectant. Si vero Superiores bene sciunt, aliquam parochiam vel scholam vel missionem proprium parochum vel magistrum vel missionarium sustentare non posse et si nihilominus aliquem fratrem illuc mittunt, ipsi Superiores tali fratri ex officio de omnibus rebus necessariis prospicere debent.

Item S. Sedes, cum cuius approbatione Ordo noster summam paupertatem observat, eo ipso quod nobis missionem committit, quae missionariis suis sustentationem dare inhabilis est, nobis etiam licentiam largitur colligendi eleemosynas pro tali missione, praeprimis pro fratribus nostris in tali missione laborantibus. Quae licentia etiam hoc num. 87 supponitur vel implicite conceditur.

Christifideles pro missionibus nostris eleemosynas nobis confidentes absque dubio intendunt, ut has eleemosynas in bonum missionis ita administremus, ut obligationibus nostris secundum normas ab Ecclesia statutas satisfaciamus. Unde in fi-

ne huius num. 87 statuitur, eiusmodi eleemosynas esse « Superiori regulari transmittendas ». Tales eleemosynas possunt esse cuiusvis speciei, non solum pecuniae, sed etiam libri, imagines, panni, paramenta, machinae, instrumenta aliaque.

Regulae practicae quoad acceptionem et transmissionem eleemosynarum pro missionibus nostris donatarum:

I. Eleemosynae *lato sensu intuitu missionum vel missionis in genere datae,* seu pro omnibus indigentiis missionis seu missionum destinatae.

Quando eiusmodi dona absque ulla obligatione aut speciali destinatione fratribus nostris traduntur, eadem dona censentur intuitu Ordinis data, sicut infra fusius ex natura rei et sententiis auctorum demonstrabitur. Proinde eorum plena administratio per se est penes fratres nostros. Ea omnia igitur transmittenda sunt Commissario missionis.

II. Eleemosynae *stricto sensu intuitu missionis datae,* sc. 1. dona fratribus nostris commissa cum positiva obligatione tradendi eadem illi, qui missionis regimen gerit. Eiusmodi dona eo ipso in missionis dominium transeunt atque ab uno loci Ordinario plene administrantur. Tales eleemosynae igitur aut immediate loci Ordinario transmittantur, aut, si simul cum aliis eleemosynis commodius Superiori religioso transmittuntur, hic Ordinario loci easdem quantocius tradere debet.

2. Dona determinatis operibus destinata:

a) Si haec opera immediate ab Ordinario loci dependent, ut seminarium, catechumenatus, scholae unice vel saltem principaliter pro instructione religiosa erectae, ecclesiae, residentiae missionariorum, coemeteria publica, alia instituta directe ad animarum curam pertinentia; insuper illa orphanotrophia, nosocomia, scholae, charitatis vel humanitatis (scientiarum) instituta, quae ab ipso loci Ordinario fundata sunt ab eoque administrantur: omnia quae positive pro talibus operibus offeruntur, item quantocius Ordinario loci tradantur;

b) si eadem opera autem immediate ab Ordine dependent, ut domus religiosa, ecclesia, coemeterium, hortus aliaque, quae usui fratrum donata sunt; deinde instituta charitatis vel hu-

manitatis, quae cum licentia S. Sedis a fratribus nostris sunt erecta ab iisque administrantur; dona pro talibus operibus data Commissario missionis transmittenda ab eoque plene administranda sunt. De his donis Commissarius missionis rationem reddere tenetur nemini nisi Ministro generali vel etiam Provinciali, si missio determinatae provinciae concredita est.

III. Eleemosynae *intuitu personae sive physicae sive moralis donatae* cum obligatione easdem missioni applicandi.

1. Eleemosynae intuitu personae Vicarii vel Praefecti Aplici. datae, eidem aut immediate transmittendae sunt, aut, si simul cum aliis eleemosynis Commissario transmittuntur, hic tales eleemosynas Vicario vel Praefecto Apostolico statim tradere debet.

2. Eleemosynae *intuitu alicuius missionarii religiosi datae*, ex. gr. ex motivo propinquitatis, amicitiae, gratitudinis, aestimationis vel confidentiae. Eiusmodi dona tradenda sunt Commissario missionis, qui secundum intentionem dantium usum talium donorum relinquere potest illi missionario, cui destinata sunt. Si vero per eiusmodi dona disciplina regularis graviter periclitaretur, vel si Commissarius praevideret, illum missionarium talia dona male adhibiturum esse, per se quidem talia dona refutare deberet, nisi benefactor aut expresse consentiret aut consentire certo supponi posset, ut ad alium finem aeque necessarium adhiberentur. Ratio de eiusmodi donorum administratione uni Ministro generali reddenda est vel etiam Provinciali, si missio uni provinciae est concredita.

IV. Eleemosynae *intuitu provinciae* donatae,

a) Si uni provinciae plures missiones commissae sunt, Minister provincialis inter missiones libere eligit eam, cui determinatam eleemosynam transmittet, vel eleemosynam inter suas missiones dividet. Commissarii de tali dono bene administrato unice et Ministro generali et Provinciali rationem reddent.

b) Si provinciae una missio est concredita, Minister provincialis tales eleemosynas Commissario suae missionis tradet, qui de bono ejus usu similiter et Ministro generali et provinciali rationem dabit.

c) Si provinciae nulla determinata missio attributa est, Minister provincialis eleemosynas Ministro generali transmittet, qui easdem ad opera variis missionibus nostris communia adhibebit, vel missioni magis indigenti attribuet.

Ministri provinciales omnes perfectam rationem de omnibus eleemosynis pro missionibus acceptis Ministro generali reddere tenentur. Imprimis attendendum est, ut singulae eleemosynae secundum dantium intentionem religiose adhibeantur et propterea benefactorum voluntates, si quas manifestaverint, clare indicentur, quando eleemosynas sive missionibus sive Ministro generali transmittunt. Etiam in ipsis provinciis Superiores diligenter invigilent oportet, ut eaedem eleemosynae non alii fini quamvis bono et necessario applicentur.

Numquid licet eleemosynas pro missionibus oblatas in utilitatem collegii seraphici impendere? — Distinguendum est:

1. Si collegii seraphici alicujus finis unicus est educatio futurorum missionariorum, eleemosynae pro missionibus in genere et absque determinato scopo datae, etiam pro eiusmodi collegio adhiberi possunt, eodem iure, quo S. C. P. F. praescribit, ut Superiores missionum eleemosynas praeprimis pro seminariis impendant.

2. Si vero collegii seraphici finis principalis est educatio futurorum Patrum qui ordinarie in propria provincia remanebunt, eleemosynae missionibus destinatae minime pro eiusmodi collegio expendi possunt.

Nam: 1. Ordini vel provinciae, non vero missionibus, obligatio sustentandi illud collegium incumbit;

2. Intentio benefactorum est, ut eorum dona vere pro necessitatibus missionum, non autem pro indigentiis Ordinis vel provinciae expendantur;

3. Est contra voluntatem Superiorum. In « Acta Ordinis » XLI, 1922, p. 163, de destinatione eleemosynarum, quae per Unionem Missionariam Franciscanam colliguntur, declaratur: « Unice et exclusive pro missionibus nostris expendi possunt et debent ». Sed « administratores bonorum ecclesiasticorum.... debent.... (2°) praescripta servare juris canonici... aut quae a

fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint » (c. 1523);

4. Alumni collegiorum seraphicorum generatim neque sunt neque vocari possunt futuri missionarii, quia *a*) cum hac intentione vel sub hac condicione juvenes in ejusmodi collegia non recipiuntur; principalis in receptione condicio et intentio est, ut fratres minores, minime ut missionarii, fieri velint; *b*) alumni semper liberi manent, utrum in provincia manere vel missiones adire velint; *c*) etiamsi aliqui alumni missiones adire vere intendant et desiderent, a Superiorum tamen judicio dependent, utrum attentis omnibus circumstantiis, in missiones mittantur aut in provincia retineantur.

Ministri provinciales igitur de usu elemosynarum missionalium secundum iustitiam disponant; sed nemini nisi Ministro generali de illa dispositione vel administratione rationem reddere tenentur.

88. De oblationibus « intuitu Missionis ». — « Sedulo di- « gnoscat Superior regularis quaenam ex singulis eleemosynis « sibi aut missionariis obvenientibus, *intuitu Missionis* datae « sint. Nam pro huiusmodi oblationibus « etiam missionarii re- « gulares subiiciuntur Vicarii aut Praefecti Apostolici iurisdic- « tioni, visitationi et correctioni » (Can. 296; cfr. can. 533 ad 4); « ideoque de iis Vicario aut Praefecto Apostolico rationem red- « dere tenetur ».

89. « De aliis eleemosynis quas, intuitu potius *personae aut* « *Ordinis* aut praestiti laboris, accipi contigerit, sicut et de sti- « pendiis Missarum suorum subditorum, soli Ministro generali « (necnon Provinciali, si *uni* Provinciae concredita est Missio) « annuam rationem reddet Superior regularis (cfr. n. 29). Ubi « de intentione donantium non constat, praesumitur intuitu « Missionis data eleemosyna ».

Eleemosynas stricte secundum benefactoris intentionem adhibendas esse, patet tum ex rei natura, tum ex repetitis S. Sedis praescriptis; v. c. in Constit. *Romanos Pontifices* (8 maii 1881, Collect. II, n. 1552, p. 152 Leo XIII statuit: « Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere, quid largitor

voluerit ». Unde quisquis dona pro missione recipit, statim clare adnotet necesse est, quaenam dantis voluntas in largienda eleemosyna fuerit; secus enim haec benefactoris intentio missionariis notificari non potest, qui proinde dantis intentionem, utpote iis ignotam, exequi haud possunt.

Ex eadem dantis intentione dependet, utrum donum missioni destinatum ab Ordinario loci an a religiosis missionariis sit administrandum.

Intentio humana autem raro est omnino simplex, saepius de facto est multiplex seu composita; propterea distinguimus varios actionis humanae fines, sc. principales et secundarios, praedominantes et subordinatos, vel interdum plures ejusdem actionis fines aequales, quorum quisque est sufficiens, ut hominem ad actionem ponendam moveat seu impellat. Varii fines autem variis actionis causis seu motivis correspondent; itaque recte distinguimus motivum praevalens et subordinatum, causam motivam et impulsivam. Immo inter fines vel causas principales bene distinguuntur fines magis, aeque, minus principales; similiter etiam fines vel motiva secundaria hominem non aequali vi ad agendum movent. In praxi vero saepius ne ipsi quidem homines sibi conscii fiunt, quaenam motiva aut principaliter aut secundarie eos ad actionem peragendam impulerint; multo minus alii homines de internis alterius hominis motivis agendi judicare valent. Nihilominus cum ab intentione agentis haud raro essentia et effectus juridicus alicujus actionis humanae dependeat, eandem intentionem interdum determinare debemus, quod nonnisi ex signis externis fieri potest, sc. ex verbis agentis aut ex actionis circumstantiis; quae si dubia non tollunt, locus habetur aut rationabilis conjecturae aut, certis in casibus, praesumptionis juris vel favoris juris.

Verba intentionem benefactoris ut plurimum clarius manifestant quam circumstantiae; nihilominus ex circumstantiis interdum tam certo ad veram dantis intentionem concludere possumus, ut etiam expressa verba contraria ob circumstantias indubias corrigi possint vel immo debeant. Loquens enim semper aliquam vel aliquas condiciones vel circumstantias praesuppo-

nit; quae suppositio, si de facto non verificatur, minime impedit, quin vera agentis intentio sit prorsus alia vel etiam contraria intentioni per verba expressae. Ex. gr. quaedam mater dilecto filio suo in aliqua missione laboranti donum transmittit. Ex innato amore materno haec mulier curas et difficultates filii sui per tale donum sublevare intendit et sane praeprimis desiderat, ut filius mediante illa pecunia necessitatibus personalibus suis provideat. Etiamsi igitur talis mater expressis verbis illam pecuniam pro alio speciali fine, ex. gr. pro catechistis, destinaret, certo supponeret, personalibus filii necessitatibus aliunde iam sufficienter provisum esse. Quod si non accideret, mater sane vellet, ut pecunia sua non pro fine per verba indicato, sed potius pro filii salute expenderetur. Ubi gentium namque invenitur mater, quae pecuniam a se datam ita rigorose pro determinato fine destinaret, ut nullam huius finis mutationem permitteret, etiamsi filius necessario cibo, vestimento, medicina etc. vere careret? Immo parentes, qui filio missionario donum elargiuntur, si quem finem eleemosynae exprimunt, hoc ordinarie potius per modum consilii faciunt, et veram doni applicationem libertati filii relinquere intendunt. Ordinarie tamen, ut supra dictum est, benefactorum intentio sive ex verbis sive ex circumstantiis sive quovis modo cognita rigorose servari debet,

Notandum autem, quod eleemosynae, quae fratribus nostris pro missionibus in genere, absque ulla finis specialis destinatione, donantur, ordinarie non sunt eleemosynae, de quarum intentione non constat, sc. utrum illas eleemosynas administrationi per Ordinarium loci an per fratres peragendae confidere velint; sed sunt eleemosynae intuitu Ordinis vel provinciae datae *cum obligatione* eas eleemosynas pro missionibus nostris expendendi.

Cui sententiae obiici non potest, quod si eleemosyna sine determinata intentione pro missione in genere datur praesumendum sit, benefactorem velle aliquid missioni, non Ordini dare, vel quod Const. *Romanos Pontifices* 8 maii, 1881 (Collect. II, n. 1552, p. 154, nota XIII) contrarium statuerit et similiter in can. 1536, §1: «Nisi contrarium probetur, praesumendum ea,

quae donantur rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum, esse ecclesiae donata ». Praenotandum verum est: 1° non dicimus, eiusmodi eleemosynas fieri res Ordinis seu res usui Ordinis qua talis destinatas; e contra tenendum est Ordinem eo ipso, quod eiusmodi eleemosynas accipit, obligationem in se suscipere expendendi illas eleemosynas in bonum missionis;

2. proprietatem talium eleemosynarum remanere usque ad earum consumptionem apud benefactores, ita ut benefactores has elemosynas repetere possint, si non in finem destinatum applicentur;

3. meram administrationem istarum eleemosynarum a benefactoribus committi Ordini, quem cognoscunt atque cui confidunt et cuius curas circa missiones susceptas sublevare intendunt.

Prob. In can. 1552, § 1 et constit. *Romanos Pontifices* supponitur, benefactorem *determinatae* ecclesiae vel missionis stationi succurrere velle; tunc utique eleemosyna in dominium talis ecclesiae vel missionariae stationis transit. In casu nostro autem benefactor nulli determinatae missionis stationi aut speciali missionis operi (scholis, orphanotrophiis etc.) aliquid donare intendit, sed missionibus Ordini vel provinciae accreditis succurrere et hoc quidem mediante Ordine vel provincia perficere intendit. Idem tenent P. Vermeersch. Ep. J. C. II, 1925, n. 857, 3; Cocchi, Com. in Cod. J. C. VI, p. 418, P. Peter Schmitz, S. V. D. Zeitschrift f. Missionswissenschaft, 1925, p. 153 (1). Eleemosynae per Unionem Franciscanam Missionariam collectae, quae absque speciali intentione datae sunt, certo inter has eleemosynas pro missionibus nostris in genere donatas numerandae atque unice a fratribus nostris administrandae sunt.

Quod eleemosynae per Unionem Missionariam Franciscanam Collectae independenter ab omni Ordinarii loci iurisdictione tam in patria quam in missione per fratres nostros administrantur, evidenter patet ex authentica declaratione naturae

(1) Cfr. P. G. Vromant, De bonis Ecclesiae temporalibus, 1927, n. 65-69, p. 89-92, ubi sententia nostra fusius explicatur et probatur.

huius Unionis: « Unio haec.... est opus pium Ordini nostro proprium, quo necessitatibus fratrum et operum nostrorum in missionibus efficacius provideri queat (c. 686, § 3). Eleemosynae igitur in hunc finem aequo iure conquiruntur ac pro qualibet alia necessitate Ordinis (c. 621); earumque dominium, administratio et expensio non diversa lege gubernantur ac aliae eleemosynae Ordini praestitae, ita tamen ut nonnisi in fines missionarios expendi possint » Act. Ord. 1922, p. 162.

90. Ad quos fines adhibendae sint eleemosynae. — « De « omnibus eleemosynis, Superior regularis disponat iuxta vo- « luntatem donantium si ipsi intentionem suam expresserint. « Sin aliter, primo loco adhibeantur pro necessitatibus tam « spiritualibus quam corporalibus missionariorum sibi subdi- « torum, pro eorum nempe victu, vestitu, expensis domesticis, « itineribus, medicinis etc. Quidquid autem supererit, unice in « beneficium Missionis, sive per se sive per missionarios Supe- « rior regularis impendet, in ea nempe opera (scholas, catechu- « menatus, dispensaria, catechistas etc.....) quae iam ab Ordi- « nario loci fuere in Missione approbata aut permissa, et hoc « semper cauto quod de eleemosynis intuitu Missionis datis « paratus sit Superiori ecclesiastico rationem reddere ».

Eleemosynae, de quibus hic n. 90 agit, duplicis speciei sunt, sc. intuitu Ordinis vel alicuius missionarii religiosi datae, et intuitu missionis donatae. De prioris generis eleemosynis Superior regularis libere disponit, servata intentione dantium, si nota est; quae si ignoratur, eandem eleemosynae in quamcumque missionis utilitatem adhiberi tenentur; praeprimis autem pro necessitatibus confratrum religiosorum applicandae sunt. Quoad harum eleemosynarum administrationem nemini rationem reddere tenetur nisi uni Ministro generali, et, si missio uni provinciae commissa est, etiam Provinciali (n. 89).

De alterius generis eleemosynis, quae intuitu missionis datae sunt, Superior religiosus per se item libere in missionis emolumentum disponit, sed duo attendat necesse est: 1° hae eleemosynae secundum ordinem supra ad n. 86 indicatum expendi debent. Proinde, quando Ordinarius loci sustentationi missio-

nariorum et seminarii sufficienter providere non potest, Commissarius suum Ordinarium loci praeprimis in his operibus adiuvare debet;

2° de eleemosynis intuitu missionis stricto sensu datis Commissarius Ordinario loci rationem reddere recusare non potest, quandocumque idem Ordinarius eamdem postulat (can. 296 § 1). Quae ratio ea forma danda est, quae a loci Ordinario praescripta fuerit, cum Ordinarii loci sit, hac in re peculiares instructiones opportune edere. (can. 1519, § 2).

91. « Vi voti et regulae *non licet Ordini* nostro vel in ipsis « Missionibus pecunias ad lucrum collocare aut fundos fructi- « feros habere, comparare aut accipere; potest autem Vicaria- « tus aut Praefectura Apostolica quippe quae est persona mo- « ralis capax possidendi. Superfluae igitur (si quae fuerint) « eleemosynae *intuitu Missionis* datae, pro quibus non est vera « necessitas praesens vel imminens religiosorum aut operum, « a Superiore regulari de praevio consensu Ordinarii loci ad « lucrum collocari possunt, vel in manus tradantur Superioris « ecclesiastici ut in plenum dominium et administrationem « transeant Missionis (cfr. n. 87). E contrario, si eleemosynae « ut supra n. 89 obvenientes, non sufficerent ad honestam mis- « sionariorum sustentationem, Superior regularis confidenter « adeat Vicarium aut Praefectum Apostolicum ut ex eleemosy- « nis aut redditibus Missionis, per ipsum benigne provideat « (cfr. n. 86) ».

Secundum Kazenberger-Iglesias, (Liber vitae, 1926, p. 132-143) eleemosynae censentur vere superfluae, pro quibus non adest necessitas : 1) vera personarum, locorum, occupationum, secundum prudens Superioris iudicium aestimanda; 2) praeterita aut praesens aut imminens, non autem mere futura seu quae nunc nullo modo urget eo quod suo tempore illi necessitati ordinariis mediis provideri potest; 3) cui per eleemosynas indifferentes quas fratres iam habent, occurri non potest; 4) cui per eleemosynas commode quaerendas provideri non potest; 5) fratrum, non aliorum hominum. Fratrum necessitas intelligitur non solum illa, quae fratres personaliter tangit, sed etiam illa,

quae fratrum opera (collegium seraphicum, orphanotrophium, scholas etc.) aggravat.

Respectu pecuniae superfluae distinguendum est:

1. — Si est pecunia intuitu Ordinis data cum obligatione eam expendendi pro missione, a fortiori si est pecunia ad usum Ordinis data, ad normam Constit. glium. n. 235 nunquam per se ad lucrum collocari potest, ut patet ex Regulae cap. IV.

2. — Si pecunia superflua intuitu missionis data est, eadem aut Ordinario loci in perfectam eius administrationem tamquam bonum missionis tradatur, aut, cum praevia licentia Ordinarii loci ad normam can. 533, § 1, 4°, ad lucrum collocetur; quo in casu Commissarius eiusdem pecuniae administrationem retinet.

E contra, quando pecuniae a fratribus administratae nec ad alium finem per ipsos benefactores destinatae pro fratrum sustentatione non sufficiunt, Ordinarius loci debitam alimentationem fratribus, qui in eius missione vires suas impendunt, ex iustitia et ex decreto S. Congregationis de Prop. Fide dare tenetur, sicut supra ad n. 86 explicatum est.

92. Procurator Temporalis. — « Duplex igitur habetur « administratio oeconomica in missionibus nostris. Quae si « quando utraque traderetur in manus unius eiusdemque Procu- « ratoris temporalis, iste tamen debeat libros tenere distinctos « pro acceptis et expensis tum Superioris regularis tum Supe- « rioris ecclesiastici, et tam huic quam illi exactam rationem « annuam respective reddere. Nihil Procurator per seipsum sta- « tuat, sed quae ei mandata fuerint a respectivo Superiore, fide- « liter exsequatur. Bona temporalia diligenter administret, ita « tamen ut in impletione muneris sui, spiritu mundano se non « sinat infici, neque speret in pecunia et thesauris ».

« Sit omnibus affabilis, sine personarum acceptione omni- « bus providens, et cum cura rei oeconomicae apostolicum mi- « nisterium prout potest coniungat ».

Duplici administrationi duo procuratores distincti correspondent. Si quando rationabiles ob causas uni procuratori utraque administratio committitur:

1) institutio et amotio eius qua procuratoris fratrum unice fit a Commissario missionis cum consilio suo;

2) si est religiosus franciscanus, praesentatio ad munus procuratoris, etiam qua bona missionis administrantis, pertinet ad Commissarium, eius institutio autem ad loci Ordinarium; eum ab officio removere uterque potest iuxta Stat. Miss. n. 14 et can. 454, § 5;

3) talis procurator ad secretum servandum tenetur:

a) si de bonorum missionis administratione agatur, quoad omnes, etiam Superiorem regularem, nisi Ordinarius loci aliquem exceperit;

b) si de bonorum usui Ordinis destinatorum administratione agatur, quoad omnes, etiam loci Ordinarium, nisi Commissarius aliquem exceperit;

c) si agatur de administratione eleemosynarum intuitu missionis datarum, quarum vero administratio fratribus est commissa, etiam quoad omnes, nisi Commissarius aliquem exceperit, servato loci Ordinarii iure exigendi rationem de hac administratione peracta.

Procurator, si sensu stricto accitur, non est administrator, sed nonnisi executor est voluntatis administratorum, qui sunt Ordinarius loci et Superior regularis. Ordinarie autem procuratori aliqua bonorum administratio delegatur. In quantum est bonorum ecclesiasticorum administrator, « debet se bene et fideliter administraturum coram Ordinario loci vel vicario foraneo iuramento cavere » (can. 1552, 1°); ad simile iuramentum emittendum procurator bonorum, quae ab Ordine administrantur, per Superiorem religiosum adigi potest, immo ut adigatur convenit. Quae de bonorum ecclesiasticorum administratione in can. 1518-1528 statuta sunt, etiam in missionibus, congrua congruis referendo et servatis decretis et statutis particularibus, utiliter applicantur.

93. « Ipsi Missionarii, eamdem quae supra (n. 93) distinc-« tionem servantes, de iis omnibus eleemosynis quas directe a Vicario aut Praefecto Apostolico pro variis operibus acceperint, « necnon de fructibus et redditibus ex fundis Missionis perceptis, « soli Superiori ecclesiastico rationem reddant.

« De iis autem pecuniis quas singuli quotannis a Superiore « regulari aut, ipso consentiente, directe a benefactoribus acce- « perint, coram solo Superiore regulari sincerae rationi redden- « dae obnoxii sunt (qui ulterius iuxta oblationum naturam sive « Superiori ecclesiastico sive Superioribus Ordinis, ut supra « dictum est, de earum usu referet) ».

Distinctio, de qua hoc in num. 93 agitur, est distinctio bonorum missionis et bonorum usui Ordinis destinatorum, quae supra in n. 84 data est; item distinctio eleemosynarum intuitu aut missionis aut Ordinis vel missionarii religiosi donatarum.

Eleemosynae sub plena Ordinarii loci administratione existentes a Vicario vel Praefecto Ap.lico, missionariis distribuuntur. Proinde missionarii de his eleemosynis uni Ordinario loci rationem dare tenentur, salvo Superioris regularis iure cumulativo invigilandi (can. 630, § 4).

Bona autem usui Ordinis destinata necnon eleemosynae intuitu missionis quidem datae, sed sub administratione Superioris regularis existentes, ipse Superior regularis subditis suis distribuit. De his eleemosynis igitur missionarii religiosi uni Commissario rationem reddunt. Ipse vero Commissarius rursum de bonis usui Ordinis destinatis uni Ministro generali et, si missio uni provinciae est commissa, etiam Provinciali rationem dare tenetur (n. 89). De eleemosynis autem intuitu missionis datis, sed ab Ordine administratis, Commissarius Ordinario loci rationem reddere paratus sit oportet, quando loci Ordinarius eam expostulat.

Ex eo, quod missionarii de pecuniis a loci Ordinario acceptis nonnisi eidem Ordinario rationem reddere tenentur, minime sequitur, Superiori regulari negandum esse ius inspiciendi seu invigilandi super harum pecuniarum administrationem a subditis suis gerendam. Quod patet ex iisdem causis, ob quas parochus religiosus eleemosynas parochiae administrat nonnisi « salva semper Superioris vigilantia » (can. 630, § 4). Nam:

1° Superior religiosus ius et officium habet invigilandi, an subditus suus officia et obligationes omni ex parte bene impleat; 2° si quis religiosus aliorum bona male administrat, bonam

Religionis famam et aestimationem subvertit. Superiori religioso autem ius et obligatio tale religionis detrimentum avertendi ex officio incumbit; 3° si quis religiosus ob malam bonorum administrationem aliis damnum infert, ad damni reparationem forsan cogetur. Quoniam vero religiosus ipse non possidet, ex quo restituere possit, ipsa religio ut plurimum moraliter coacta erit, damnum a religioso illatum resarcire. Ad quam restitutionem faciendam, Religio minime quidem ex iustitia tenetur (can. 1527, § 2), nihilominus ut evitentur oblocutiones, murmurationes, indignationes, inimicitiae et ut aestimatio confidentiaque recuperetur etiam cum proprio damno, restitutionem evitare vix poterit.

Quibus ex causis igitur etiam Superiori regulari in missionibus ius et officium invigilandi administrationi a missionariis sibi subditis gerendae concedendum est. Quod si quis loci Ordinarius prorsus impediret, Superior regularis eiusmodi administrationem subditis suis vetare, aut, quod melius esset, ad S. Sedem recurrere posset. Quo in casu autem consultius erit, rem ad Ministrum generalem referre, cuius est iura Ordinis conservare atque defendere. Quae inspectio seu invigilantia Superioris religiosi, ut patet, non importat veram iurisdictionem super ipsam administrationem seu ius alium administrandi modum praescribendi ac a loci Ordinario praescriptus fuit; sed mere significat ius attendendi subditis suis eosque cogendi, ut nonnisi secundum modum et intra fines a loci Ordinario statutos administrationem gerant, ita ut omnem restituendi obligationem et bonae famae damnum evitent.

94. « Si agitur de parochis aut quasi-parochis (Can. 451, « §2, n. 1), servetur canon 630, § 4, et Const. gen. n. 690; et « proinde nihil de sua gestione temporali vigilantiae Superio- « rum respective competentium subtrahere praesumant ».

Quamvis parochiae et quasi-parochiae in missionibus canonice erigi possint, minime tamen omnibus iuris communis canonibus reguntur, sed magna ex parte sub iure particulari S. Congregationis de Prop. Fide relinquuntur. Ita Leo XIII, in Constit. *Romanos Pontifices* de Anglia, ubi paucis annis ante s. hierar-

chia erat introducta, rescripsit: « Illi (Antistites enim.... rati sunt, se posse omnia decernere.... quae ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures e contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur » Videtur quidem esse S. Sedis intentionem consiliumque paulatim traducendi statum missionis in statum iuris communis. Attamen discretione magna opus est et stylus curiae Romanae hac in re maxime attendi debet.

In n. 94 citati canones haec statuunt: « Parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus et parochorum nomine in iure veniunt, 1° quasi-parochi, qui quasi-paroecias regunt, de quibus in can. 216, § 3 » (can. 451, §2, 1°). Can. 630, § 4 saepius citatus pro eleemosynarum administratione per parochum religiosum gerenda normas condit. CC. GG., n. 690 vero monent: « Parochi vel eorum coadiutores aliquid acquirere vel expendere aut contractum aliquem inire, aut qualemcumque proprietatis actum, etiam pro ecclesia vel parochia, facere non praesumant, sine Superiorum, ad quos spectat, auctoritate et consensu, servatisque limitibus dispensationum concessarum. Qui contra fecerint poenis in proprietarios decretis puniantur ». Missionarii parochi et quasi-parochi bona missionis administrant sub iurisdictione Ordinarii loci et vigilantia Superioris religiosi (can. 296, § 1; 630, § 4), eodem modo ac ceteri missionarii.

95. « Quicumque missionarius administrationi alicuius dis-« trictus praeficitur, aut pecunias quovis titulo expendendas « accepit, librum teneat omnium acceptorum et expensorum, in « quo quotidie utraque accuratissime conscribat. Nullus instru-« menta legalia de bonis Ecclesiae conficere audeat, sine expressa « auctoritate Superioris ecclesiastici, ex cuius sola delegatione « in hoc casu agit ».

Nisi diligenter et sine mora omnes pecuniae acceptae expensaeque in libro adnotentur, recta planaque ratio de iisdem confici non potest. Unde missionarius « quotidie utraque accuratissime conscribat ». Pecunias aliaque bona temporalia non in

se et qua talia, sed qua necessaria propagandi fidem media aestimemus et ex oboedientia erga S. Matrem Ecclesiam religiose fideliterque curemus. Mercatores pro lucro temporali securius acquirendo tanta diligentia in conscribendis rationibus utuntur, ut vix maior cogitari possit, nos missionarii eleemosynas ut plurimum a pauperibus Christianis collectas administramus, ut mediantibus illis eleemosynis plures animas immortales Deo O. M. facilius lucremur: numquid nos pro lucro aeterno obtinendo minorem diligentiam hac in re adhibebimus, quam mercatores pro temporali lucro avide adhibent?

Nonnisi ordinaria bonorum ecclesiasticorum administratio missionariis in genere conceditur. Proinde applicandus est can. 1527, § 1: « Nisi prius ab Ordinario loci facultatem impetraverint, scriptis dandam, administratores invalide actus ponunt, qui ordinariae administrationis fines et modum excedunt ». Documenta legalia autem de bonis ecclesiasticis conficere, vix non semper actus extraordinariae administrationis esse solet. Eiusmodi documenta enim emptionis, venditionis, locationis, oppignorationis, hypothecae etc. nonnisi de immobilibus aut de mobilibus pretiosis aut de contractibus magni momenti exarari solent. Tam praxis totius ecclesiae (cfr. can. 1521 sq., 1530 sq.) quam permulta S. Congregationis de Prop. Fide decreta et instructiones (cfr. Collect. n. 529, 617, 712, 773, 827, 916, 1127, 1310, 1346) eiusmodi actus aut uni Ordinario loci cum eius consilio reservant aut saltem sub speciali Ordinarii vigilantia ponunt, speciatim vero simplicibus missionariis prohibent. Quae prohibitio ab omnibus fere Synodis in quinque Sinarum regionibus celebratis (cfr. J. M. Cambrière, Synthesis decretalium Sinarum, Hongkong, 1914, n. 1367-1389, p. 307-312) et per Synodum Japonensem (Acta et decreta primae synodi regionalis Japoniae et Coreae Nagasaki habitae, anno 1890, Hongkong, 1893, p. 110; citatum ex « Zeitschrift für Missionswissenschaft », Münster i. W. 1916, p. 215) confirmata est. Si quis missionarius igitur de bonis sive missionis sive usui Ordinis destinatis extra fines administrationis sibi delegatae contractum iniret, non solum Ecclesiae legem sub peccato gravi obligantem non obser-

varet, sed etiam ipse de bono vel malo eventu ac effectu talis contractus respondere debet ad normam can. 1527, § 2: « Ecclesia (i. e. non solum Ecclesia universa aut Sedes Ap.lica, sed etiam quaelibet persona moralis in Ecclesia, can. 1498), non tenetur respondere de contractibus ab administratoribus sine licentia competentis Superioris initis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit ».

96. « Non solum de rebus usui personali concessis, sed et « de rebus Missionis sollicitam curam gerant missionarii, iuxta « dispositiones Superioris ecclesiastici. Cum igitur missionarius « ad suam primo stationem accedit, a praedecessore aut a vica- « rio foraneo accipiat inventarium omnium ad Missionem per- « tinentium. Tenetur autem supellectilem et aedificia integra « servare, si nequeat ea meliorare, ut successori saltem tantum « tradat quantum ipse accepit. Quodsi vel ad reficienda quae « vetustate obsoleta et squalida evaserunt vel ob maiorem loci « decorem ad nova conficienda, expensae fieri debeant, hae ordinarie a Superiore ecclesiastico probandae sunt et concedendae, « si agitur de rebus Missionis.

« Poterit tamen Superior regularis concedere ut etiam « eleemosynae intuitu personae aut Ordinis datae, si quae sint « residuae, ad hoc adhibeantur ».

Constitutio *Romanos Pontifices* hac in re confirmat, quod in Concilio provinciali Westmonasteriensi II statuitur: « XII. Cum igitur sacerdos aliquis ad suam primum missionem accedit, accipiat a Vicario Foraneo vel ab alio Deputato ab Episcopo, inventarium omnium ed missionem pertinentium. Tenetur autem aedificia et supellectilem integra servare, immo potius meliorare, ut successori tantum saltem tradat, quantum ipse accepit. Quod si vel ad reficienda quae vetustate obsoleta et squalida evaserunt, vel ad majorem locorum decorem nova vel venustiora providerit, distinguendum est, quonam ex fonte ista provenerint.

1. Nam si ea ex proprio peculio sive ex familiarum sibi bene affectarum donis, sive tantum ex ea parte proventuum ecclesiae, quae sibi competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos haec

sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper habita obligationis conservandi in bono statu ea quae accepit.

2. Si vero generatim proventibus Ecclesiae vel donis sive collectis Congregationis vel tandem aere ab Episcopo vel administratoribus temporalium rerum dioeceseos concesso, fuerint haec conquisita, omnino missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti ea sibi vindicare ». (Collect. II, n. 1552, pag. 154, nota).

Quando eiusmodi renovationes vel mutationes, sive domorum sive paramentorum sive supellectilium, ordinarium administrationis modum per Superiores aut per legitimam consuetudinem determinatum excedunt, missionario talia expensa, ut patet, facere non licet, nisi prius competentis Superioris licentiam rite obtinuerit.

97. « Si quis missionarius, *industria sua aut parcimonia*, « in ratione annua pecuniam residuam habuerit, aut personales « eleemosynas acceperit, de istis ulterius disponere poterit, modo « *a*) id fiat cum expresso consensu et sub vigilantia Superioris « regularis, *b*) potissimum adhibeatur in operibus ad propagan- « dam vel stabiliendam fidem conducentibus et ab Ordinario « loci approbatis; *c*) haec pecunia, donec ita adhibeatur, maneat « deposita apud Superiorem regularem vel eius Procuratorem « temporalem ».

Missionarii eleemosynas variis ex fontibus accipiunt aut pro determinatis propagationis fidei operibus (catechistis, scholis, magistris, infantibus S. Infantiae etc.), aut pro propria sustentatione, aut per laborem acquirunt.

Si quae eleemosynae, pro specialibus missionis operibus datae, residuae habentur, missionarii has eleemosynas sequenti anno pro iisdem finibus adhibeant, ut intentio dantium impleatur. Si quae eleemosynae autem pro missionarii sustentatione datae, vel pecuniae proprio missionarii labore acquisitae in anni fine remanent, nihil obstat, quin Superiores, quibus clara et exacta ratio annua reddi debet, tales pecunias ipsi missionario relinquant, dummodo pro missionis utilitate expendantur. Ita enim missionarii efficacius instigantur ad augenda missio-

nis subsidia. « Subsidia ordinaria et extraordinaria pro alendis missionariis ab Ordinario loci soluta, *etiamsi parce vivendo,* in fine anni quaedam missionario supersint: haec religioni vel Instituto ex stricta iustitia sunt acquisita ». (P. G. Vromant. De bonis ecclesiae temporalibus, 1927, n. 65, p. 89). Eiusmodi superstites pecuniae igitur sub plena administratione Superioris regularis existunt.

CONCLUSIO

De Horum Statutorum Observantia.

98. « Haec Statuta ab omnibus ad quos spectant fideliter « serventur tam in Provinciis quam in Missionibus, dummodo « Statuta specialia a S. Sede pro quibusdam Missionibus condita et approbata, iis non contradicant.

« Superiores igitur missionarios suos exemplo praeeant, et « seposito omni respectu humano, horum observantiam Statuto- « rum stricte urgeant, negligentes moneant et corrigant, et « emendatione non secuta punire aut ad Superiores maiores « deferre non vereantur ».

Quae in his Statutis ordinata sunt, tam in singulis provinciis a Superioribus subditisque fideliter observentur, quam praecipue in missionibus a Commissariis missionariisque in praxim deducantur. Ab accurata Statutorum observantia enim dependet, utrum missionarii nostri, tanquam acies bene ordinata optimisque armis exornata, permagnas pro Christi Regno expugnationes faciant, an sicut milites lassi vel inepti vix ea protegant, quae aliorum sudore et sanguine jam fuerint obtenta. « Vir oboediens loquetur victoriam » (Prov. XXI, 28).

99. « Statuta haec singulis annis in omnibus nostris con- « ventibus post constitutiones generales, et in Missionibus du- « rante recessu spirituali, in publica mensa praelegantur; et « in visitatione canonica de diligenti Provinciarum ad Missio- « nes collaboratione Visitatores indagare ac Ministro generali « in scriptis referre non omittant ».

Valde desiderandum est, ut praefata Statuta non solum in mensa semel in anno leviter legantur, sed etiam a Lectoribus vel Magistris spiritualibus coram clericis et laicis explicentur.

Quomodo enim iuvenes fratres verum missionum nostrarum amorem acquirent, nisi inde a primis annis de praeclara missionum nostrarum historia atque praesenti statu edoceantur, atque iisdem iuvenibus viae et modi ostendantur, quomodo missionibus Ordini nostro commissis succurrere valeant? Item in conferentiis Patrum eadem statuta utiliter tanquam thema serio discutiendum interdum proponi potest.

271.75
J37
Jarre, Cyril
Statuta pro missionibus

DATE | ISSUED TO

271.75
J37

4896